IOANNIS ZVFFII INSTITVTIONES CRIMINALES.

INSTITVTIONES CRIMINALES,

Quibus Delictorum Materia, Iudiciali, ac Practica Methodo
LIBRIS QVATVOR
comprehenditur,

A IOANNE ZVFFIO IVRISCONSVLTO conscripta,

OPVS
Tyronibus, Reisq; ac Iudicibus opportunum, & vtile,

Cum Indice Copioso.



ROMÆ Typis Fabij de Falco, MDCLXVII.

Superiorum permissu.

SVMPTIBVS IOANNIS CASONI.

SANCTISSIMO PATRI
CLEMENTI IX.
PONTIFICI MAXIMO.

IOANNES ZUFFIUS F.

INCONSVLTE me, quidem agere pluribus visum iri non dubito, qui Sanctitati Tuæ, cui nupèr CLEMENTIAE nomen imposuit, *Criminalis* Materiæ principia nuncupare decreuerim. Et sanè cùm huius Virtutis munia sint, non modò lapsos erigendi, sed etiam qui se perdunt incolumes seruandi, negari vix poterit, quin dona offeram tanto Nomini inconuenientissi-

ma. Verùm enimuerò cum Iustitiæ minimè CLEMENTIA aduersetur, sed à pœna sontibus debita cum iudicio ad lenitatem declinet, Principemque deceat, qui se Rectorem non Dominum, populosq; Ciues, non seruos cogitet, sententiam haud muto. Ad pedes igitur Sanctitatis Tuæ humillimè deuolutus, hoc vnum rogito, vt si nimium audere visus fuerim, qui labores hosce meos (exiguos fateor, tenuesq;) tanto Principi dicauerim, eadem mihi virtus ignoscat, quæ TE Deo similem dum reddit, paruis etiam obseruantium votis, ne lateant, animos addit, sufficitque. Valeat Sanctitas Tua, eosque vtinam annos transigat, quos Vrbis, Orbisq; sub TE felicitas deprecatur.

STV-

STVDIOSÆ
IVVENTVTI.

NVLLI dubium est cuiuscumque disciplinæ Institutiones plurimùm ad eas edifcendas conferre; quippe quæ graphides quædam sunt, ex quibus illarum à species, si non perfectè quoquo modo ab intuentibus dignoscuntur. Laborem igitur hunc meum Criminalis Scientiæ Regulas continentem ad vos ideò, Studiosissimi Iuuenes, direxi, vt his intellectis, compendiaria quadam via, Iustitiæ, humana scelera punientis, ædes ingrediamini. In eo enim Ordinem Iudicij Criminalis, illiusq; vsum demonstraui, vt vobis aliquid amplius effulgeat, quàm discipulorum peritia, & ne fori planè ignari è scholis prodeatis. Hoc quoque factum est, certo legum indicio, à quibus materiam hanc mutuatus sum, vt vos, qua possum, tædiosa laxarum expositionum lectione subleuarem. Quippè si benè his vtimini, vix alius supererit labor, quàm vndè ea collecta sint, recognoscere. Alacri itaq; studio hæc prima Criminalis materiæ rudimenta accipite, vt vniuerso tandem operi colophone imposito, vos præcipua inter suæ felicitatis instrumenta dinumeratos, debitis, vt par est, Respublica honoribus prosequatur.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sac. Palatij Apost.

M. Episc. Arimin. Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Magist.

INDEX TITVLORVM.

De

De

D.

E.

F.

H.

I.

In-

P.

Q.

Qui-

R.

De

S.

T.

V.

INSTITVTIONVM CRIMINALIVM PROOEMIVM.

IVDICIALEM poteſtatem, non ſolùm in ciuilibus facilem; ſed etiam in criminalibus oportet eſſe terribilem: A, vt vtrumque iudicium, & commutationum, & delictorum rectè poſſit adminiſtrari: Et Præſes quicumque non ſolùm inter ciues iuſtus exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites, delinquentium iniquitates puniat, atque depellat, & fiat tàm iuris Iudex iuſtus, quàm punitis malefactoribus in ſuo Magiſtratu glorioſus. B.

A, l. vnica C. ſi rector prou. Auth. de mandatis Principũ §. talem.

B, arg. textus in §. vt vtrumque in proœm. Inſtit.

§. Idcircò Imperator Flauius Iuſtinianus ad crimina compeſcenda, duos in iuris codicibus de delictis priuatis, atque extraordinarijs, nec non publicis criminibus libros poſuit, quos terribiles nuncupauit, C, quibus docetur maleficia inſequi, atque in criminoſos pœnas infligi duriores:

C, l. 2. §. & poſt hæc duo C. de vetere iure enuc.

§. Immò in eis ea, quæ de audacibus hominibus cauta ſunt, præmiſit, & in iiſdem ea, quæ de fugacibus, qui ſe celare ſtudent, ſum-

ma diligentia dispofuit, ficq;etiam de pœnis, quæ vtrifque poffunt infligi, atque de eorum fubftantijs tractauit. D.

§. Verum, quia huius ftudij facultas, fuis non caret ambagibus, illa fub vna breui consonantia redigitur, vt rudis animus ftudiofi, his fimplicitèr eruditus, in altiorem tranfeat fcientiam. E.

§. Igitur ex iuris fcripti præceptis, has breuiores collectæ funt Inftitutiones Criminales, fanctionefq; quædam; veluti certa axiomata Theoriæ, quæ per lachonifmos reftringuntur; vt nedum fupplicijs modum difcatur imponere; fed etiam Ciuium malitijs non faueat legum ignorantia. F.

§. Itaque faciliores hæ de criminibus notiones, parant Tyronibus iucundam laborum refectionem, & diuturni ftudij, breuiorem fcientiam, & intelligentiæ, compendiofa documenta, atque iuftitiæ adminiftrandæ, monita faluberrima.

§. Ad inftar ergò Ciuilium hæ Inftitutiones, in quatuor diuiduntur Libros, quorum duo primi ad ea fpectant, quæ nulla iudicij figuram admittunt, vtpotè ea, quæ introductionem caufæ demonftrant, atque ea, quæ fimplici Iudicis notioni conueniunt: cæteri verò duo Libri ad ea pertinent, quæ in iudicij figura perficiuntur nimirum ea, quæ in caufæ cognitione confiftunt, & ea, quæ in animaduerfione maleficiorum defiderantur.

D, *d.§. & post hac duo.*

E, *arg. §. his igitur, Instit. de iust. & iure, l. 2. §. sed cum perspeximus, C. de vetere iure enuclean.*

F, *arg. text. in l. 1. ff. de Dolo malo, l. 9. ff. de iuris, & facti ignorantia.*

IN-

INSTITVTIONVM CRIMINALIVM LIBER PRIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Iudicio, & Instantia Criminali.

CRIMINALE Iudicium est alicuius delicti apud Iudicem competentem diligens disceptatio A, publice vindictæ causa: B, vbi enim delicti examen inciderit, tunc accerrima fit indago argumentis, testibus, scripturarum collatione, aliisq; vestigiis veritatis. C.

A, l. 1. C. de execut. rei iud. Auth. offeratur C. de litis cont.

B, l. si quis in fine C. de accus. l. 4. ff. de pub. iud.

C, l. 22. §. vltimũ C. de fals.

§. Instantia verò criminalis est quedam temporalis eiusdem iudicii duratio, qua exacta ad ampliora tempora produci non debet: D, vltimum autem finem strepitus criminalis iudicii compendioso spatio limitari oportet, quem litigantem, disceptantemq; fas est non excedere. E.

D, l. criminalis C. vt intra tempus.

E, l. 22. §. vltimum C. de falsis.

§. Huius iudicii, & instantiæ partes sunt litis contestatio, & diffinitiua sententia: litis contestatio est de principali facto criminoso, seu de illius substantialibus apud interrogantem Iudicem cum facti narratione, facta responsio, F. cuius exordium nascetur, auspicio contestatæ accusationis, apud Iudicem competentem post probationem, supplicio capitali (si id exigat magnitudo commissi) imminente. G.

F, cap. vnic. in fine de litis contest. l. 2. C. de iure iur. propter calumn. l. prima C. de lit cont.

G, l. 22. § vltimũ C. de falsis.

§. Sententia verò est actus, per quem à tota disceditur controuersia, & dicitur pronunciatio Iudicis decisionem causæ continens: H, indè postea subsequitur res iudicata, quæ finem controuersiarum pronunciatione Iudicis accipit; quod vel condemnatione, vel absolutione contingit. I.

§. Locus iudicij forus dicitur, & est vbi iudicia publica exercentur, L, à territorio differens intra cuius fines magistratus terrendi ius habet: M, in criminali quoque negotio, de foro quandoq; disputatur, nam & Rei forum, accusatorem sequi oportet. N.

H, *l. dicere 23. ff. de receptis arbitr.*
I, *l. 1. ff. de re iud.*
L, *Cap. 10. de ver. signif.*
M, *l. 239. §. territoriū ff. eod.*
N. *l. 5. C. de iurisd. & infra §. in criminali, Tit. 9.*

TITVLVS II.

Quibus personis iudicium criminale constare debeat.

TRES sunt personæ, quæ iudicium criminale promouent; Iudex scilicet, Accusator, & Reus: Iudex siquidem medius inter vtrumque est, qui nec vlla interlocutione diuulgare debet, quæ sentiat; sed tanquam ad imitationem delegationis, quæ solùm audiendi mandat officium, præbeat notionem, postrema sententia, quid sibi liqueat proditurus; A, & quasi ius dicens appellatur; cuius est de iure disceptare; hoc est iustè iudicare. B.

§. Accusator, quasi causator dicitur, & est ille, vel qui cùm sit integræ existimationis, de crimine aliquo accusationem instituit, C, vel ille, cui non prius accommodatur assensus, vt Reus puniatur, quàm solemni lege se inscribendo vinxerit, & in pœnam reciproci, stylo trepidante, recauerit, hoc est fideiusserit. D,

Ideò

A, *l. 22. C. de fals.*
B, *cap. forus 10. §. in omni. de verb. signif.*
C, *l. criminis, C. de ijs, qui accusare non poss.*
D, *l. 2. §. ex longinquo, C. de exhib. & transm. Reis, l 3. C. de ijs, qui accusare & infra tit. 4. §. sciendum.*

ideò accusatorem eum dicimus, qui crimina obiecit, & causam perorari vsque ad sententiam effecit. E.

E. l. qui cum natu, §.accusasse, ff.de bonis liber.

§. Reus autem est, qui à re, quæ petitur, sic nuncupatur; & est ille, qui tandiù pari cum accusatoris fortuna, retinetur; donec repererit cognitio veri, & falsi celebrata, discrimen: ideò quicumq; in discrimen capitis accersitur, non statim reus, qui accusari potuit existimatur. F.

F, d.l.2.§.qui postea, C.de exhibend. & trãsmitten. Reis, & l. accusationis, C. de accusat.

TITVLVS III.

De Fisci Procuratore, & Cæsaris Rationale.

VLTRA personas, de quibus supra dictum est, Fiscus quoq; seu Procurator Fiscalis iudicio assistit necessario; ad eum enim non minus, quàm ad Rempublicam spectat, vt delicta vti in sui exitium tendentia, impunita non euadant, A, & veluti Procurator Reipubl. nomine illius exequitur illorum causam. B.

A, l. 52. §. æstimatio vers. cum neque, ff. ad l. Aquil.

B, l. 2. vers. vel qui nomine, ff. de iure Fisci.

§. Quod non est sic in ciuilibus dissensionibus, in quibus quamuis sæpè per eas Respub. lædatur; non tamen in exitium eius contenditur, C, vndè in criminali causa, Iudices sine Fisci Procuratore nullum pœnis afficere debent: Immò si quis in casum scilicet ex delicto ceciderit, legibus, & recto iuris ordine, Procuratore Fiscali agente, vindicari oportet. D, Fiscus enim pœnarum executor est; quoniã detectis grauioribus causis vltionem differri permittere non debet. E.

C, l. 21. §. in ciuilibus ff. de capt. & postlim. reuer[illegible].

D, l.omnes 5.C. de delator. lib. 10.

E, l. cum Reis 18. C. de pœnis.

§. Differt tamen à Procuratore, seu Rationale Cæsaris, qui licet Fisco præsit, hoc ei non

nisi in cogendis pecunijs ex delicto debitis, conceditur: si tamen aduersus Fiscum postulatur, Procurator Cæsaris vna cum Præside, præsente Fisci Patrono, adiri debet: F, & vbi de eo, qui mortem v. g. sibi consciuerit, metu alicuius pœnæ, ac propterea bona à Fisco vindicari debeant; iam non de crimine, aut pœna mortui tractatur, sed de bonis eius quærendum est, & ad Cæsaris Rationalem aduocari causa debet; G, quia crimen non quæstio pecuniaria, finitum est: H. & ideò Fiscus criminum vindex est, & Cæsaris Procurator bonorum damnatorum prosequutor dicitur: planè defunctis homicidij Reis, apud eum quoque causam de bonis eorum agendum esse ratio permittit. I.

F, *l. si aduersus, C. si aduersus Fiscum.*

G, *l. 2. C. vbi causæ fiscales.*

H, *l. 22. ff. ad Sylan.*

I, *l. prima C. vbi causæ fiscales.*

TITVLVS IV.

De Criminali Iudicio instituendo.

IVDICIVM Criminale instituitur, cum quis tali iudicio appetitur, cuius pœna, aut supplicium habet, aut exilium, quod sit vice deportationis, vbi Ciuitas amittitur, A, aut saltem pœna non est capitalis; verumtamen iudicanti placuit illam augere; B, vt puta si eum, qui parte bonorum mulctari debuit, Præses relegauerit. C.

§. Et instituitur proposita inquisitione, vel accusatione. Inquisitio ex quampluribus causis instituitur; nimirum, vel per denunciationem, quæ, per officiales curam publicæ sollicitudinis, ad Reos producendos habentes exponitur.

§. Delicta verò, quæ per officium Præsidibus denunciantur, citra solemnia accusationis possunt perpendi. D.

A, *l. qui cum natu §. is demum, ff. de bonis libert.*

B, *d. l. qui cũ natu, §. si tamen.*

C, *l. 13. §. pœna, vers. vt puta, ff. de ijs, qui not. infam.*

D, *l. 7 C. de accus.*

Sed

§. Sed nunciatores, qui notoria indicia produnt, notorijs suis assistere iubentur. E.

§. Vel ex incidenti cognitione veluti in teste, qui vti periurus deliquerit in officio testificationis; quasi aures iudicantis offenderit, absq; vllo præscriptionis obstaculo, eidem Iudici in eum testem, cuius voces falsitate, vel fraude non carere perspexerit; pro qualitate videlicet delicti animaduertendi datur licentia. F.

§. Vel ex atrocitate criminis; veluti si quis in hoc genus sacrilegij proruperit; vt in Ecclesia Catholica irruens Sacerdotibus, ac Ministris; vel ipsi cultui, locoq; aliquid importet iniuriæ, quod geritur à Prouinciæ Prætoribus animaduertatur. G.

§. Vel ex criminis diffamatione, nam si per clamorem, & famam ad aures Præsidis subditorum excessus peruenerint, non quidem à maleuolis, & malignis, sed à prouidis, & honestis, nec semel tantùm; sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Præside veritatem diligentius perscrutari; vt (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis: non tanquam idem sit accusator, & Iudex; sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore, officij sui debitum exequatur: nam euidentia patrati criminis non indiget clamore accusatoris. H.

§. Sciendum tamen est, quod ad instruendam inquisitionem, & ad iuuandum officium Iudicis possunt admitti, serui, pueri, & similes. I.

§. Accusatione autem instituitur iudicium; veluti si quis se iniuriam ab aliquo passum putauerit, & querelam deferre voluerit, non ad stationarios decurrat; se Præsidialem adeat pote-

E, l. ab accusatione §. nunciatores ff. ad Turp.

F, *l. nullum, C. de testibus, & inf. lib. 2. tit. 28.*

G, *l. 10. C. de Episcopis, & Clericis, glos. per inquisitionē in extrauag. ad reprimendum.*

H, *cap. qualiter 24. de accusat. cap. euidentia 9. eod.*

I. *l. ad instruendā 35. & ibi gloss. ad marg. ff. de admin. tutor.*

L, *l. si quis* 8. *C. de accusat.* — potestatem, aut libellos offerens, aut querelas suas apud acta deponens. L.

§. Aduertendum quod qui accusare volunt, probationes habere debent; cùm neque iuris, neque æquitatis ratio permittat, vt alienorum instrumentorum inspiciendorum potestas fieri debeat; actore enim non probante, qui conuenitur, & si nihil ipse præstat, obtinebit. M.

M, *l. qui accusare C. de edendo.*

§. Sciendum quoque est, quod accusatio peragi non potest, si accusatores non habet: N, qui quidem accusatores olim cùm crimen intendebant vinculum inscriptionis arripiebant; & custodiæ, ac supplicij similitudinem patiebantur; si falso accusationem instituissent; O, quæ res ad id inuenta fuit ne facilè quis prosiliret ad accusationem instituendam. P.

N, *l. rescripto, §. si quis accusatorem, ff. de mun. & hon.*

O, *l. 17. §. si quis C. de accusat. supra §. accusatur, tit. 2.*

P, *l. 7. ff. de accusat.*

§. Quibus solemnitatibus, hodie non vtimur; quia nemo cogitur se inscribere; ideoq; minus frequentantur, & in dissuetudinem abierunt: Q sed non propterea fallacitèr incusantibus nullius iuris color, veluti deriuata excusatione proficit; R, quoniam calumniator secundùm qualitatem admissi sceleris, Iudicis arbitrio periclitari solet: S, quia qui non probauerit, quod obiecit, pœnam, quam intulit ipse patiatur. T.

Q, *l. 1. §. interrogatorijs, ff. de interrog. act.*

R, *l. 9. C. de Calumn.*

S, *l. 5. C. de calum.*

T, *can. qui non probauerit 2. q. 3.*

§. Et licet non ita solemnitèr instituatur accusatio; nihilominus, & Iudicis nomen, delictiq; qualitas, tempusq; ac nomen delinquentis in ea reticeri minimè debent: vt certi hominis delictum vindicari, puniriq; possit. V.

V, *l. in causis, & ibi glos. tempus, C. de accus. l. licet gratis, §. possumus, ff. Naut. caup. stabul.*

TI-

TITVLVS V.

De ijs, qui accusare non possunt.

QVI accusare possunt intelligemus si sciremus, qui non possunt: A. Itaq; prohibentur accusare alij propter sexum, vt mulieres, quibus Senatus Consulto Liboniano permissum non est legis Corneliæ Reum facere, nisi res ad eas pertineat; quamuis etiam certis ex causis concessa sit mulieribus publica accusatio; veluti si mortem exequantur eorum, earumq; in quos ex lege testimonium publicorum iudiciorum inuitæ non dicunt. Idem & in lege Cornelia testamentaria, idest de falsis, Senatus sanxit. B.

A, *l. qui accusare, 8. ff. de accusat.*

B, *l. 5. C. hoc tit. l. 1. & 2. ff. de accusat. & inscrip.*

§. Quocirca, si aditus fuit Præses Prouinciæ; in primis examinabit an tale sit crimen, cuius accusationem mulier subire non prohibeatur. C.

C, *l. de crimine, C. de is, qui accus. non possunt.*

§. Alij propter ætatem, vt pupilli, quibus tamen ex cõsilio Tutorum patris mortem; item pupillæ aui sui mortem exequi concessum est, lege testamentaria, id est de falsis, nàm de patris testamẽto pupillis agere permissũ est. D. Immò sancitum est omninò, debere, & agentibus, & pulsatis in criminalibus causis minoribus 25. annis adesse tutores, vel curatores, in quibus causis adultos, & pupillos leges accusari concedunt; cum cautius, & melius sit cum suasione perfectissima, & responsa facere minores, litemq; inferre, ne ex sua imperitia: vel iuuenili calore aliquid dicant, vel taceant; quod si fuissent prolatum, vel non expressum prodesse eis poterat, & à deteriore calculo, id est sententia, eos eripere. E.

D, *l. 2. §. pupillus ff. de accusat.*

E, *l. clarum C. de authoritate præstanda.*

§. Sanè si iuuenili facilitate ducti, vel etiam

ter-

feruore ætatis accensi, ad accusationem prosiliunt; accusantibus eis non facilè calumniæ pœna irrogabitur. F.

F, *l. 15. §. lex Iulia, ff. de adulterijs.*

§. Alij propter Sacramentum ab accusando repelluntur, & sunt, qui stipendia merent, vt milites; ne hac occasione à signis auocentur; consobrini autem sui necem defendere, hoc est accusare permittitur. G.

G, *l. non prohibetur, C. hoc tit. l. 8. ff. eod.*

§. Alij propter Magistratum, potestatemue in qua agentes sine fraude, H, in ius euocari non possunt. I.

H *l. iubemus, C. ad l. Iul. repetun.*

I, *l. 8. ff. hoc tit.*

§. Pariter si maritus sit in magistratu, non potest de adulterio vxoris suæ præueniri à patre, quoad maritus magistratum gerit; patris quoque accusatio impedienda est, ne præripiatur marito ius, quod cum eo æquale habet. L.

L, *l. si maritus 15. ff. de adult.*

§. Alij, qui iudicio pubico damnati sunt ius accusandi nō habēt, quia infames sunt. M.

M, *l. qui iudicio, ff. de accus. l. 7. ff. de pub. iud.*

§. Alij, qui de crimine publico in accusationem deducti sunt, ab alio super eodem crimine deferri non possunt: N, si tamen ex eodem facto plurima crimina nascuntur, & de vno crimine in accusationem quis fuerit deductus; de altero non prohibetur ab alio deferri: Iudex autem super vtroque crimine audientiam commodabit, nec ei licebit separatim de vno crimine sententiam proferre, priusquam plenissima examinatione super altero quoque crimine fiat. O

N, *l. qui de crimine, C. de accusat.*

O, *l. 9. §. super altero, C. de accusat.*

§. Ipsis verò accusatis neganda est licentia criminandi in pari vel minori crimine, prius, quàm se delicto, quo premuntur exuerint, nisi suas, suorumq; iniurias exequantur, P, quia is, qui Reus factus est, purgare se debet nec ante potest accusare, quam si erit excusatus. Q.

P, *l. neganda, C. de his, qui accusar. non possunt.*

Q. *l. is, qui 5. ff. de pub. iud.*

§. Alii propter turpem quæstum; veluti qui duo iudicia aduersus duos Reos subscripta

ha-

habent: nummos, vel ob accusandum, vel non accusandum receperunt. R.

R *l. qui accusare. ff. de accusat.*

§. Alij propter conditionem suam, vt filij contra parentes, liberti contra patronos, serui contra Dominos. S.

S, *l. qui accusare, ff. de accusat.*

§. Alij propter paupertatem, vt sunt, qui minus, quàm quinquaginta aureos habent. T.

T, *l. nonnulli ff. de accusat.*

§. Socius eiusdē criminis, alium socium accusare non potest: nam si filium tuum liberū genero tuo vendidisti, qui tàm proxima necessitudine coniunctus, eius conditionis ignorantiam simulare non potest vtrisque socijs criminis accusator deest. V.

V, *l. si filium, C. de lib. causa, l. repetita ff. de fide instrum. l. 14. §. si libertus, ff. de bonis lib. vbi glos. resoluit.*

TITVLVS VI.

De ijs, qui accusari possunt.

SVPRA de accusatoribus dictum est, nunc de ijs, qui accusari possunt dicendum est; omnes enim, qui dolo capaces sunt accusatione argui possunt, quocirca pupillus, qui proximus pubertati sit, sicut est capax delinquendi; vtpote furandi, & iniuriæ inferendæ, A, ita de illis accusari, in criminibus enim ætatis suffragio minores non iuuantur; B, nec eis impunitas delicti propter ætatem datur; si modò in ea quis sit, in quam crimen, quod intenditur cadere potest: C, etenim malorum mores infirmitas animi non excusat; D, Ideò minor annis 25. in delictis non meretur in integrum restitutionem: vtique in atrocioribus; nisi quatenus interdū miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Iudicem perduxerit; E, & præcipuè si adulterium commiserit; lege Iulia tenetur; quoniam tale crimen post pubertatem incipit, F

A, *l. pupillum, ff. de reg. iur.*

B, *l. 1. C. si aduersus delictum. & infra lib. 3. tit. 10. §. qui ad personas.*

C, *l. impunitas, C. de pœnis.*

D, *l. 1. C. si aduersus delictum.*

E, *l. auxilium 38. §. in delictis, ff. de minoribus.*

F, *l. si minor ff. de adulter.*

§. Serui quoque si postulabuntur, eadem ob-

obseruanda sunt, quæ si liberi essent; omnibus enim legibus serui Rei fiunt; excepta lege Iulia de vi priuata, quia ea lege damnati, partis tertiæ bonorum publicatione puniuntur, quæ pœna in seruos non cadit. G.

G, *l. hos accusare §. si seruus, §. omnibus, ff. de accusat.*

§. Si verò criminis accusationem propter res à seruo raptas intentandam putatur, non contra Dominum; sed contra eum, quem facinus commisisse proponitur, H,

H, *l. si criminis, C. de vi pub.*

§. Hos quoque accusari non licet, nempè legatum Imperatoris, idest Præsidem Prouinciæ: item Legatum Prouincialem eius dumtaxat criminis, quod antè commiserit quàm in legationem veniret: Item Magistratum Populi Romani, eumue, qui Reipub. causa abfuerit, dum non retractandi leges causa abest. I,

I, *l. Hos accusare, ff. de accusat.*

§. Si quis verò de crimine commisso accusatus latuerit, aut Prouinciam illam reliquerit, in qua deliquit legitimis edictis à Iudice vocari eum oportet, & si non audiat illa in eum procedere, quæ legibus sunt definita, L, quod si præsens sit, vicetamen absentis habeatur, vt puta qui in villis, vel vrbanis castris militat dicendum est deferri hunc posse, neque enim laborare habet, vt se repræsentet. M:

L, *Auth. si verò, C. de adulter. & l. 3. §. sin verò C. de ijs, qui accusare non possunt.*

M, *l. si maritus, §. legis Iuliæ, vers. quod si ff. de adult.*

§: Non ideò minus crimine, siuè atrocium iniuriarum iudicio tenetur is, qui in iustam accusationem incidit; quia dicit alium se huiusmodi facti mandatorem habuisse, namque hoc casu præter principalem Reum, mandator quoq; ex sua persona conueniri potest. N.

N, *l. non ideò minus, C. de accusat.*

§. Et licet morte Rei crimen cum pœna sit extinctum; ac per hoc adempta sit necessitas accusandi: O, tamen meminisse oportebit si quid contra maiestatem Imperatoris commissum dicatur; etiam post Rei mortem id crimen instaurari solere; P, & memoriam defuncti

O. *l. si is quem 2. vers. cum morte, C. si reus, vel. accus.*

P, *l. meminisse 7. C. ad l. maiestat.*

functi damnari, & res eius hæredibus auferri: Q.

Q, l. maiestatis 6. C. eod.

§. Si quis autem ijsdem criminibus, quibus liberatus est, non debeat Præses pati eumdem iterum accusari: R, quia de his criminibus, de quibus absolutus est accusatus non potest accusatio replicari. S, Nihilominus si accusatoribus absentibus, & nō per contumaciam adesse iudicio cessantibus, ex vna postulatione aditus Præses Prouinciæ non causa cognita, sententiam dixit, qua eum, de quo quærimonia delata est liberandum existimauit; criminatione etiam nunc perseuerante, quæ contumacia, vel cassatione accusatorum, non inueniente, auferri non potuit: causa intentati criminis apud eumdem, vel successorem eius more iudiciorum tractabitur. T.

R, l. si cui §. ijsd. ff. de accus.

S, cap. de bis extra eod.

T, l. si accusatoribus, C. de accusat.

TITVLVS VII.

De quibus criminibus accusatio institui possit.

DE omnibus criminibus, siuè grauia, siuè leuia, siuè publica, siuè priuata sint, accusationem instituendam esse iuri consonum est: nam leuia crimina audire, & discutere de plano Præsidem oportet: vel liberare eos, quibus objiciuntur, vel fustibus castigare, vel flagellis cæsos liberare. A.

A, l. leuia ff. de accusat.

§. Et licet de omnibus illicitis accusatio institui non permittatur, cùm non omne illicitū puniatur; B, & ideò rescriptum reperitur, cum hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit; non rectè facere; pœnam tamen in eum statutā non esse. C, Itemque nullam pœnam meruisse eos, qui corpus de-

B, glos. 1. in l. penult. ff. de his, qui not. infam.

C, l. at si §. si quis dū in fine vers. Diuus Marcus ff. de relig.

D. l. 3. §. Diuus tamen ff. de sepul. viol.

defuncti in itinere per vicos, aut oppida transuexerunt; quamuis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittēdi ius est, non debeant. D.

E, l. si magnum, C. de ijs, qui accus. non possunt.

§. Et si quoq; magnum, & capitale crimen, ac non leue frater contra fratrem suum instituit, non solùm audiendus non est, sed etiā exilij pœna plectendus est, E, si verò leuiorem commissorum facit accusationem, non prohibetur exercere in iudicio Præsidiali, quo temerariè commissa, congrua vltione plectentur. F.

F, l si sororem 18. C. eod.

G, l. propter C. de ijs, qui accusare non possunt.

§ Propter autem insidias, quas suæ vitæ præparatas contēdit mater accusationem apud Præsidem contra filium suum (si pietas, & ratio naturalis animi sui non reuocat intentionem) constituere potest. G.

H l. falsum C. si ex falsis instrumentis.

I, l. iudicati 4, C. eodem.

§. Item qui falsa testatione, quamuis in iudicio aduersus aliquem vsus est, solito more argui non prohibetur; sed causa iudicati in irritum non deuocatur; nisi probetur cum, qui iudicauerat secutam eius instrumenti fidem, quod falsum esse constiterit aduersus illum pronunciasse; H quia iudicati executio suspēdi solet, si falsis instrumentis circumuentam esse religionem iudicantis, manifestis probationibus fuerit ostensum. I.

TITVLVS VIII.

Vt nemo inuitus accusare cogatur.

A. l. vnica, C. hoc tit.

QVAMVIS inuitus accusare nemo cogatur: A, tamen cum diffamari statum ingenuorum, seu errore, seu malignitate quorumdam periniquū sit, præsertim cum affirmetur diù Præsidem vnum, atq; alterum interpellatum ab aliquo vocitasse diuersam partem, vt contradictionem

nem

nem faceret, si defensionibus suis confideret. Vnde constet meritò Rectorem prouinciæ cõmotum allegationibus suis sententiam dedisse, ne de cætero inquietudinem sustineret: si igitur adhuc diuersa pars perseuerat in eadem obstinatione, aditus Præses Prouinciæ ab iniuria temperari præcipiet. B.

§. Pariter hæredes, quos necem testatoris inultam omisisse constiterit, fructus integros cogantur reddere, neque enim bonæ fidei possessores ante controuersiam illatam videntur fuisse, qui debitum officium pietatis omiserunt. C.

§. Quod non est sic in tutore, qui pupilli instituerant accusationem; defuncto enim pupillo, cuius causa accusare cœperat, non est cogendus accusationem implere. D.

§. Item nec hæredes accusatorum cogi debent exequi crimina; E, quoniam si accusator decesserit, aliaue causa eum impedierit, quominùs accusare possit, & si quid simile est, nomen rei aboletur postulante Reo. F.

§. Sed qui monetarios adulterinam monetam, clandestinis sceleribus exercentes, in publicum detulerint si serui sunt, Ciuitate Romana donantur, & eorum Domini pretium à Fisco percipiunt, G, alijs verò accusatoribus eorum immunitas permittitur. H.

B. l. diffamari, C. de ingen. & manum.

C, l. 1. C. de ijs, quibus, vt indignis.

D, l. Diuus Adrianus ff. ad Turpill.

E, l. Diui fratres, ff. de accus.

F, l. libellorum, §. si accusator, ff. de accusat. & inscrip.

G, l. 2. C quibus ex causis serui pro præm. lib. capiunt.

H, l. 1. vers. accusatorib. C. de falsa moneta.

TITVLVS IX.

Vbi de crimine agi oporteat.

CRIMINIS ratio postulat, quod forum sortiatur, vbi plecti debeat; nam seruos ibi puniendos, vbi deliquisse arguitur, Dominúq; eorũ si velit eos defendere, non posse reuocare in Prouinciam suam; sed

A, *l. si cui §. idem ff. de accus. l serui, ff. de noxalibus act.*

B, *l. 1. C. hoc tit.*

C, *l. in criminali C. de iurisd. omn: ũ Iudicum, & supra in §. locus tit. 2.*

D, *l. iuris ordinem C. eod.*

E, *l. 1. & 2. ff. de quibus rebus ad eũdem Iudicem eatur.*

F, *l. nulli C. de iudicijs.*

G, *l. 1. ff. de quibus rebus ad eund. Iudicem eatur.*

H, *d. l. nulli, C. de iudic.*

I, *l. 1. C. vbi senat. vel clariss.*

L, *l. quoties C. eod. vers. crimen publicum.*

ibi oportet defendere, vbi deliquerunt, A, quia quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coercentur, vbi commissa, vel inchoata sunt, vel vbi reperiuntur, qui Rei esse perhibentur criminis, perfici debent. B.

§. In criminali etiam negotio Rei forum accusator sequitur, vt dictum est: C, nam vbi domicilium Reus habet, vel tempore delicti habuit; licet hoc postea transtulerit, ibi tantum eum conueniri oportet. D.

§. Sed si inter plures furti, aut falsi, aut homicidij, vel alterius criminis, iudicio agatur, eumdem Iudicem sumendum; E, nec vlli prorsus audientia præbeatur, qui causæ continentiam diuidere audeat: F, præterea quo facilius coire criminum socij possint, in eumdẽ locum omnium præsentia fieri debet: G, vt id, quod in vno, eodemq; iudicio terminari potest, apud diuersos Iudices, nõ ventiletur. H.

§. Quicumque non illustri, sed clarissima dignitate tantùm præditus sit, si virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua culpa, seu crimine fuerit deprehensus, intra Prouinciam, in qua facinus perpetrauit publicis legibus subiugetur, nec fori præscriptione vtatur: omnem enim honorem reatus excludit. I.

§. Illustres verò, quibus crimen publicum, priuatumue (cui tamen non per Procuratorẽ respondere liceat) ingeratur; nullius alterius Iudicis, nisi Principis pietatis huiusmodi esse cognitionem, vel sacri tantummodò cognitoris, cui serenitas eiusdem Principis, huiusmodi negotij audientiam vice sua sacris apicibus mittendis mandauerit. L.

§. Verum cùm aliquid Colonus, aut seruus rei priuatæ Principis, contra disciplinam publicam asseratur perpetraro; ad iudicium Re-

Cto-

ctoris Prouinciæ venire cogendus est; sic videlicet, vt præsente Rationali, vel Procuratore domus Principis inter eum, & accusatorem causa tractetur, & si facinus fuerit approbatum iuris seueritas exaratur. M.

M, *l. cum aliquid, C. vbi causæ fiscales*.

§. Si verò cõtra pupillos, vel viduas, vel diuturno morbo fatigatos, & debiles, impetratum fuerit lenitatis Principis iudicium: memorati pupilli, & viduæ, & cæteri à nullo Iudicum comitatus eiusdem Principis cõpellantur copiam sui facere; quinimò intra Prouinciam, in qua litigator, & testes, & instrumenta sunt, experiantur iurgandi fortunam, atque omnis cautela seruetur, ne terminos Prouinciarum suarum cogantur excedere. N

N, *l. vnica, C. quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur*.

§. Quod si pupilli, vel viduæ, alijque fortunæ iniuria miserabiles iudicium Principis orauerint; præsertim cùm alicuius potentiam perhorrescant, cogantur eorum aduersarij examini eiusdem Principis copiam facere: N, quia proprium Principum officium est, facere iudicium, & iustitiam, & liberare de manu calumniatorum, vi oppressos, & pupillo, viduæq; qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. O.

O, *cap. Regum* 23. *q.* 5. *cap. licet* 87. *distinct.*

TITVLVS X.

Vt intra certum tempus criminalis quæstio terminetur.

INSTANTIA criminalis iudicij, suo circumscribitur spatio; idcircò criminales causas omnimodò intra duos annos à contestatione litis connumerandos, finiri oportet: A, nec vlla alia occasione ad ampliora produci tempora debent; quia qui delatum cri-

A, *glos. procedatur in extrauag. ad Reprimendum*.

crimen non peragit, numquam postea illud deferre permittitur; B, sed post biennij excessum minimè vlterius, lite durante, accusatus absolui ab obseruatione iudicij debet: scientibus Iudicibus, eorumq; officijs, quod si litigatoribus admonentibus, ipsi litis introductionem, vel examinationem distulerint, pœna vicennarū librarum auri, feriri debeant. C.

B, *l. abolitionem, §. caterū, vers. quin hoc, C. de adulter.*

C, *l. Criminales, C. hoc titulo.*

§. Verum hoc casu, circumducto hoc biennio, videndū an amplius Reus conueniri possit, an verò salua quidem lis sit, verum instantia tantùm perierit, & magis est, vt instantia tantùm perierit: ex integro autem accusari possit. D, quia cum accusator animum accusationis implendæ non deseruerit; sed alijs ex causis nempè iudicantis negligentia, nedum ipse ad finem vindictæ peruenisse dicatur; poterit, postposita formidine biennij elapsi institutam accusationem, secundùm leges perferens, quam sibi probabit, debitam reportare vindictam: E, & Præses, quasi desertam causam, circumduxerit, repetitus, notionem suam exhibebit. F.

D, *l. & post editum §. circumducto, ff. de iudic.*

E, *l. in executionibus, C. ad Turpil.*

F, *l. si Præses 6. C quom. & quando.*

§. Si verò accusator quilibet, Reum in iudicium subscriptione detulerit; si intra statutum tempus, accusationem cæptam prosequi supersederit, vel (quod est contumacius) adesse neglexerit, quarta bonorum omnium parte mulctatus, aculeos consultissimæ legis incurrat, manente infamia, quam veteres iusserant, sanctiones; G, quoniam à negotio desistere videtur, quod calumniandi animo instituerat: H, & si persona vilior fuerit, cui damnum famæ non sit iniuria, pœna patiatur exilij, nisi fortè intra statuti temporis metas, consensus partium abolitionem poposcerit. I.

G, *l. 1. C. hoc tit.*

H, *l. destitisse, ff. de iudicijs, & vbi quis, &c.*

I, *l. nouerint, §. & si persona, C. hoc tit.*

§. Iudicium autem debet esse diligentia; vt si nulla rationabilis à Reo, vel accusatore dilatio

latio postuletur, vrgeant talium causarum notionem, non expectatis moris. L.

L, d. l. nouerint. §. Iudicum, C. hoc titulo.

§. Sed causa, quæ speratur in consistorium Principis inferri absque damno moræ maneat intacta, donec ipse faciat introduci, & à proceribus secundum morem dirimi; M. maximè si fortè contingerit principalem maiestatem occupatam publicis causis, ex mundanis prouisionibus, non posse conuocare patres, quatenus causa agitetur, non ex hoc causa periclitari dicitur. N.

M, Auth. sed & lis, C. de temp. & rep. appell.

N, §. ad hæc Auth. de appell. & intra qua tempora, &c.

TITVLVS XI.

Si Reus, vel Accusator mortuus fuerit.

QVONIAM cum mortalitate iudicium soluatur; A, ideò viden. quando Rei morte, vel accusatoris obitu, crimen, vel eius accusatio extinguetur.

A, l. 15. §. si propter vers. quia morte, ff. ad Turpill.

§. Igitur si is, qui homicidij, seu cuiusuis criminis postulatus est, vita functus sit; frustra ob pœnam desertæ accusationis conuenitur; iud. cum morte eius crimen cũ pœna sit extinctũ: B, & per hoc accusatori adempta est necessitas accusationis: C, etiam contra hæredem, quia pœna constituitur in emẽdationem hominum, quæ mortuo Reo, in quem constitui videtur, desinit. D.

B, l. 6. ff. de publ. iud.

C, l. si is 2. C. hoc tit.

D, l. 20. ff. de pœnis.

§. Et si quis crimine falsi postulabatur vita functus est, ac per hoc crimen in persona eius sit extinctum, accusatio tamen non est abolita; cum tam vxorem eius, quam alium eodem crimine postulatos esse proponatur. E.

E, l. 1. C. hoc tit.

§. Si quis verò cum capitali pœna, vel deportatione damnatus esset appellatione inter-

terposita, & in suspenso constituta fati diem functus est, crimen morte finitum est: Idem obseruatur, & si accusator pendente appellationis tempore, vltimum diem obijsset. F.

F, *l. si quis, C. hoc titulo.*

§. Si autem relegationis pœnam sustinuit, & in parte bonorum expresse damnatus appellatione vsus est, etiam post mortem eius, nihilominus appellationis ratio examinabitur; cum desideretur vtrum valeat, necne particularis publicatio: G, nam multum interest vtrum capitalis pœna irrogata, bona Reo quoq; tacitè adimat, veluti si fuerit deportatus; H, quo casu morte eius, extincto crimine, nulla quæstio superesse potest, an verò non ex tacita damnatione capitis, sed speciali, & expressa sententia; tunc etenim subducto Reo sola capitis causa perimitur, bonorum remanente quæstione. I.

G, *l. si quis, §. si autem, C. hoc tit.*

H, *l. deportatorum, C. de pœnis.*

I, *l. 3. C. si pendente appell. mors interuenerit, l. 1. ff. eod.*

§. Sed ex iudiciorum publicorum admissis nō alias trāseunt aduersus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quam si lis contestata; L, & condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum, & maiestatis iudicio, quæ etiam mortuis Reis, quibus cum nihil actum est adhuc exerceri placuit, vt bona eorum Fisco vendicentur: adeout ex quo quis aliquid ex his causis crimen contraxit: nihil ex bonis suis alienare, aut mutare eum posse; ex cæteris verò delictis pœna incipere ab hærede ita demum potest, si viuo Reo accusatio mota est, licet non fuerit condemnatio secuta. M.

L, *vt infra lib. 4. tit. 16. §. nihilominus.*

M, *l. 20. ff. de accusat.*

§. Contra Hæreticos, & præcipuè Manichæos, vel Donatistas, in mortem quoque inquisitio extenditur; nam si in criminibus maiestatis licèt memoriam accusare defuncti, nō immeritò etiā hi debent subire tale iudiciū. N.

N, *l. Manichæos C. de hæresi, §. præterea vers. in mortem.*

§. Idem de Apostatis, qui ex Christianis Iu-

Iudæi effecti sunt, eorum sacrilegum nomen singulorum vox, continua accusatione incenset, & nullis finita temporibus huiusçemodi criminis arceatur indago: In tantum autem contra talia sacrilegia perpetuetur actio; vt vniuersis ab intestato venientibus, etiam post mortem peccantis, absolutam vocem insimulationis congruæ non oporteat negari. O.

O, *l.* 4. §. *quibus vers. in tantum, C. de Apostat.*

TITVLVS XII.

Quando ciuilis actio, accusationi præiudicet.

ALIQVANDO actio ciuilis cum publico iudicio concurrere solet; A, ideò aliquid de ordine iudiciorum, & eorum præiudicijs dicendum est. Ordo enim iudicij est dispositio quædam, qua totius causæ disceptatio, vel eius pars alteri parti, sine vitio præposterationis præponitur, aut inter diuersas actiones, quarum vna ab altera pendet, aut post vnam, nisi çumuletur, altera intentatur.

A, §. *in summa Instit. de iniurijs.*

§. Nam si ciuili quæstioni principalitèr motæ, quæstio incidat criminis; veluti si testamentum ex quo petitur hæreditas falsum esse dicatur; vel è contrario crimini prius instituto, ciuilis causa adiungatur; veluti si plagij crimine accusatus contendam eum, quem abduxi esse seruum meum potest Iudex, qui vtramque iudicandi potestatem habet, vtráq; quæstionem ex eadem causa ortam, insimul dirimere. B.

B, *l. Plagij C. ad l. fab. de plag. l.* 1. *C. de off. Rectorum Prou. l. si lis, C. de falsis, l.* 3. *C. de ordine iudic.*

§. Sed prius illa actio experiri debet, quæ in ordine cognoscendi disponit ad alterius decisionem: nam si de statu, & çrimine occurre-

ret disceptatio; nimirùm libertatis, & adulterij, prius de statu agendum est; quoniam necesse est antè scire vtrum in liberum, & ingenuum, aut in seruum cōstitui potest iudiciū, C, quia alitèr liberi, alitèr serui pœnis afficiuntur. D.

C, l. 3. C. de ordine cognitionum.

D, l. 1. C. de ord. Iudic.

§. Quocirca sciendum est, quod si actio ciuilis pari auctoritate respiciat ad vnum, & eumdem finem, ad quem accusatio tendit, vna tollit alteram; veluti si is, cui rem commodauero, eam surripuerit, tenebitur quidē, & commodati actione, & conditione furtiua; sed altera actio, alterā perimit, aut ipso iure, aut per exceptionem. E.

E, l. 33. §. si is qui ff. de actio. & oblig.

§. Qui autem seruum alienum iniuriosè verberat, ex vno facto incidit, & in Aquiliā, & in actionem iniuriarum; & ideò possunt vtræq; competere; sed quidam aiunt altera electa, alteram consumi. Alij per legē Aquiliam actionem iniuriarum consumi; quoniam desijt bonum, & æquum esse iniuriarum condemnari eum, qui æstimationem præstitit: sed si antè iniuriarum actum esset, teneri eum ex lege Aquilia; sed & sententia per Prætorem inhibenda est; nisi in id, quod amplius ex lege Aquilia competit agatur. Rationabilius itaque est, eam admitti sententiam, vt liceat ei, quam voluerit actionem prius exercere, quod autem amplius in altera est, etiam hoc consequi. F.

F, l. qui seruum, ff. de act. & oblig.

§. Paritèr, qui furem deducit ad Præfectum Vigilum, vel ad Præsidem existimandus est, elegisse viam, qua rem persequeretur; & si negotium ibi terminatum est, & damnato fure, recepta est pecunia sublata, in simplum videtur furti quæstio sublata: maximè si non solùm rem furtiuam fur restituere iussus fuerit; sed amplius aliquid in eo-

Iu-

Iudex cõstituerit:sed & si nihil amplius,quam furtiuã rẽ restituere iussus fuerit, nec amplius aliquid in eum Iudex cõstituerit eo ipso ,quod in periculum maioris pœnę deductus est,intelligendũ est,quæstionem furti sublatam esse. G.

G, *l.interdum* 58. §. *qui furem ff. de furtis*.

§. Verum si finis iudicij fuerit maioris authoritatis ; veluti si homo dicatur iniuria occisus , non debet permittere Prætor priuato iudicio , legis Corneliæ præiudicium fieri. H.

H, *l.Prator* §.*si dicatur.ff. de iniurijs*.

§. Cum morandæ solutionis gratia à debitore falsi crimine obijcitur , nihilominus salua executione criminis , ad solutionem compelli potest : I, datur enim licentia litigantibus , si apud Iudicem proferatur scriptura , de qua oritur aliqua disputatio profitendi. vtrum de falso criminaliter statuat , qui dubitet de instrumenti fide experiri ciuiliter: quod si expetens vindictam falsi crimen intenderit,tunc quæstione ciuili per sententiam terminata , criminis fiat indago . L.

I, *l. satis apertè C. de falsis*.

L, *l. Damus* 13. *C. de falsis*.

§. Qui verò per vim de possessione deiectus est : si de ea recuperanda interdicto vndè vi fuerit vsus , non prohibetur etiam lege Iulia de vi puplica , etiam priuata instituere accusationem : M, sed prius de possessione pronunciare , & ita crimen violentiæ excutere Præses Prouinciæ debet ; N, quia in actione ciuili sola vtilitas priuata spectatur : in accusatione verò vigor publicæ disciplinæ consideratur . O.

M, *l. vnica* §.*quod illicitè , ff.de publ.*

N, *l. prima, C. de appell.* & *in* §.*item si quis infra lib.* 2. *tit.* 19.

O, *l.locatio*, §.*quod illicitè ff. de Publican.*

TITVLVS XIII.

De Abolitionibus.

ABOLITIO est licẽtia desistendi ab accusatione , ne accusator in Turpilianum incidat : A, & triplex est , vna

A, *glos. Abolitione in l.* 16.*C de adult.*

B, *l.l. 8. 9. & 10. ff. ad Turpil.*

vna publica, seù generalis, altera priuata. tertia legitima. B.

§. Publica, seu generalis paritèr duplex est, vna à iure, altera à Principe: à iure dicitur illa, quæ statis temporibus, vtpotè Paschalibus, quoniam vbi primus dies Paschalis extiterit, nullum tenere debet carcer inclusum, & omnium vincula dissolui debent: C, à Principe est illa, quæ fit ob diem insignem, aut ob publicam gratulationem, vel ob rem prosperam. D.

C, *l. 3. C. de Episcopali Aud.*

D, *dd. ll. 8. 9. & 10. ff. ad Turp.*

§. Abolitione verò publicè facta, triginta dies repetendi Rei dantur: & hos vtiles esse oportet: ex die scilicet, quo feriæ finitæ sunt: atque ij dies cædunt, quibus quisque Reum suũ repetere potuit, & hoc repetendi tempus non alitèr cedit, quàm si accusator quoque potuit adire. E.

E, *l. 10. §. abolitione, ff. ad Turpil.*

§. Quod si post edicta proposita intra dictum statutum diem repetere supersederit, persequi crimina volens, non est audiendus. F.

F, *l. 1. C. de generali abolit.*

§. Si verò prius quis detulerit, & post abolitionem antequam Reus repeteretur intra triginta dies, alia abolitio superuenerit, non tamen ex superiori, sed ex secunda abolitione dies triginta computantur. G.

G, *l. 15. §. quamquam ff. ad Turpil.*

§. Ad falsi verò crimen, hæc publica abolitio non pertinet, H, nisi iudicium falsi criminalitèr cœptum, interueniente indulgentia Principis, sopitum sit. I. Indulgentia enim Principis publicæ abolitioni comparatur: idcircò si tu cum indulgentia illius reuersus sis ad lares tuos, frustra vereris ne ex annotatione Præsidis, quæ iam abolita est, calumniam patiaris. L.

H, *l. Lucius Titius in fine, ff. eodem.*

I, *l. quod si 9. C. de falsis.*

L, *l. 10. C. de sententia pa[...].*

§. Priuata autem abolitio est illa, quæ priuatim actore, seù accusatore postulante conceditur: M, & hæc à Præside postulari, ac impetrari solet: non de plano, sed pro tribunali

M, *l. aut priuatim ff. ad Turpil.*

ſedente, nec Præſes hanc cognitionem alteri demandare poteſt. N. — N, *l.* I. *§. abolitio ff. eodem.*

§. Et ſi quis plura crimina alteri intulerit, ſingulorum abolitionem debet petere: alioquin Turpiliani pœna, nempè quinque librarum auri, quæ in deſiſtente ſtatuta eſt, patietur. O. — O, *d. l.* I. *§. ſi plura ff. ad Turpil. l.* 3. *ff. de præuaricat.*

§. Legitima verò abolitio eſt illa, quæ, vel per obitum: veluti ſi accuſator deceſſerit, aliaue cauſa eum impedierit, quo minùs accuſare poſſit, vel ſi quid ſimile nomen Rei poſtulante ipſo Reo euenerit, aboletur: idque lege Iulia de vi cautum eſt, ita vt liceat alij ex integro Reum intra triginta dies vtiles repetere, P, vel per diſſimulationem: nam iniuriarum actio ex bono, & æquo eſt, & diſſimulatione abolitur: ſi quis enim iniuriam dereliquerit, hoc eſt ſtatim paſſus, ad animum ſuum non reuocauerit, poſtea ex pœnitentia iniuriam remiſſam non poterit recolere: Q, vel per lapſum temporis, ſcilicet quando præſcriptione aliqua delictum perpetuò abſumitur. R. — P, *l.* 3. *§. ſi accuſator ff. de accuſat.* — Q, *l.* II. *§. iniuriarum, ff. de iniurijs, §. hæc actio, inſtit. eod.* — R, *l. ſed ſi §. ſi ante, ff. de iniurijs.*

§. Abolitio denique præſentibus partibus cauſa cognita, non à Principe, ſed à competenti Iudice poſtulari debet: id eſt ſi per errorem, ſeù temeritatem, ſeù calorem ad accuſationem proſilierint: hoc enim accuſator explanans abolitioni locus faciet: S, ſin autè per deceptionem, vel pecunijs à Reo corruptus ad poſtulandum abolitionem venit, redemptæ miſerationis vox maximè admittatur, ſed aduerſus nocentem rerum inquiſitione facta, pœna competens ingeratur. T. — S, *l.* 2. *C. de abolit.* — T, *d. l.* 2. *§. ſin autem.*

§. Hi autem, qui ſuam, ſuorumque iniuriam defendunt, & qui cognatos ſuos in accuſationem deducunt omnimodò abolitionem petere non prohibentur. V. — V, *d. l.* 2. *§. hi autem.*

§. Quod non ita in illis criminibus: veluti

in

in violata maiestate, aut patria oppugnata, vel prodita, aut peculatus admisso, aut Sacramentis desertis, omniaq; quæ iure veteri continetur, in quibus Iudex non minus accusatorem ad docenda, quæ detulit, quàm Reum ad purganda, quæ negat debet vrgere. X.

X, *l. fin. §. sin autem testibus, C. hoc tit.*

TITVLVS XIV.

De Præscriptionibus.

PRAESCRIPTIO de genere abolitionis est, vt dictum est, & est accusationis exercendæ, seù possibilis exerceri exclusio: diuturnum enim silétium præscriptione roboratum accusatore, seu Fisco delictum persequentibus, inefficacem constituit actionem. A.

A, *l. 1. C. si aduersus Creditorem.*

§. Quæ quidem Præscriptio non minus publica, quam priuata delicta compræhendit, & in temporis differentia perficitur: quandoque enim anno, vt iniuria; veluti si quis in rixam inconsulto calore prolapsus homicidij conuicium obiecit, & eo die annus excessit, cum iniuriarum actio annuo tempore præscripta sit, ob iniuriæ admissum conueniri non potest. B.

B, *l. si non conuicij, C. de iniur.*

§. Quandoque biennio, vt in dolo non ex eo die, quo se quisqne admissum dolum didicisse commemorauerit, neque intra anni vtilis tempus: sed potius ex eo die, quo asseritur commissus dolus intra continuum biennium de dolo actionem moueri, siuè absfuerit, siuè præstò sit is, qui dolum se passum esse conquæritur: omnes igitur sciant, neque incipiendæ post biennium, neque antè completum biennium cœptæ, post biennium verò finiendæ doli actionis esse concessam licentiam. C.

C, *l. optimum, C. de dolo malo.*

Quan-

§. Quandoque quinquennio, vt in delictis carnis: nam adulterij Reũ intra quinque annos continuos à die criminis commissi: D defuncta quoque muliere postulari posse certum est. E.

§. Hoc quoq; quinquennio obseruari legislator voluit; si Reo, vel Reæ stuprum, vel lenocinium obijciatur: idemq; dicendum, si aliud crimen sit, quod ex lege Iulia descendat, vt sunt, qui domum suam stupri causa præbuerint, & alij similes. F.

§. Crimen verò incesti iunctum adulterio, quinque annorum præscriptione non excluditur. G.

§. Quandoque vicennio, vt in crimine falsi, cuius querela temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut & cætera quoque ferè crimina: H, nã in omnibus Fisci quæstionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora seruari specialitèr constitutum est, viginti annorum præscriptione custoditur. I.

§. Quandoque nullo temporis spatio veluti in parricidio: eorum enim, qui parricidij pœna teneri possunt semper accusatio permittitur: L, Item accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur, nec interest decesserit, necne ea, quæ partum subdidisse contenditur. M.

§. Item in Apostatis, quorum sacrilegum nomen, singulorum vox continua accusatione incenset, & ideò nulla finita temporibus huiuscemodi, indago arcetur. N.

§. Verùm si diutino tempore aliquis in reatu fuerit, aliquatenus pœna eius subleuanda est: non enim eodem modo puniendos eos esse, qui longo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recenti sententiam excipiũt. O.

D, *l. mariti*, 29. §. *quinquennium*, *ff. de adulterijs*.

E, *l. miles* §. *adulterij*, *ff. eod.*

F, *d. l. mariti*, §. *hoc quinquennium*, *ff. de adulterijs*.

G, *l. vim passam*, §. *præscriptione ff. eodem*.

H, *l. querela*, *C. de falsis*.

I, *l. 13. ff. de diu. & temp.*

L, *l. eorum 10. ff. de parricid.*

M, *l. qui falsam*, §. *accusatio*, *ff. de falsis*.

N, *l. 4. C. de Apostatis*.

O, *l. si diutino*, *ff. de pœnis*.

§. Si verò quis tabulas testamenti, quas secutus Præses sententiam dixit, falsas dixerit, notionem præbebit suam, non obstante præscriptione rei indicatæ, quia nondum de falso quæsitum est. P.

P, *l.* I. *C. si ex falsis instrumentis, vel testamen. iudic. sit.*

TITVLVS XV.

De Prauaricatione, & Collusione.

A, *glos. prauaricari in l.* I. *ff. ad Turpil. can. si quem* 2. *q.* 3.

B, *l.* I. *&* 2. *& tot. tit. ff. de collusione deteg.*

MODO de vitijs accusationis dicendum est, quorum vnum est crimen præuaricationis, cui proprius accedat collusio, vtraq; accusatori imputatur, illa per patentem deflexioné ab accusatione, vera crimina abscondendo: A, ista per latentem, & fraudulentem conuentionem, per quam alter in iudicio superari se permittit, qua interueniente delicta remanent impunita. B.

C, *l.* I. *ff. de præuar. l. Athletas, §. item præuaricator, ff. de ijs, qui notan. infam.*

§. Idcircò Præuaricator est ille, qui quasi varicator aduersam partem adiuuat, prodita causa: quod nomen à varia certatione tractum est, nam qui præuaricatur ex vtraque parte consistit: quinimò ex altera; is autem preuaricator propriè dicitur, qui publico iudicio accusauerit, & causam postea prodiderit, hic extra ordinem solet puniri. C.

D, *l. in omnibus, ff. de prauar.*

§. Et in omnibus causis præterquam in sanguine, qui delatorem corruperit, ex senatus consulto, pro victo habetur. D.

§. Præuaricationis iudicium aliud publicum, aliud moribus introductum; nam si Reus accusatori publico iudicio, ideò præscribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum, & absolutum: cauetur lege Iulia publicorum iudiciorum, vt non prius accusetur, quàm de prio-

prioris accusatoris præuaricatione, hoc est fraude constiterit, & pronunciatum fuerit. E.

E, *l. 3. ff. de publ. iud.*

§. Huius ergò præuaricationis, seù fraudis pronunciatio publici iudicij est: sed si moribus, nempe si aduocato præuaricationis crimen intendatur, publicum iudicium non est, nec interest publico, an priuato iudicio præuaricatus dicatur. F, hinc habetur quod præuaricatio dicitur in aduocato; fraus in Iudice, vel aduersario. G.

F, *l. 3. ff. hoc tit.*
G, *l. 1. C. de sententijs aduersus Fisc. lib. 10.*

§. Quamuis præuaricatoribus pœna extraordinaria iniungatur; H. tamen si is de cuius calumnia agi prohibetur, præuaricator in causa iudicij publici pronunciatus sit, infamis erit, I, in criminibus, quæ extra ordinem obijciuntur: præuaricatores eadem pœna afficiuntur, qua tenerentur si ipsi in legem commisissent, qua Reus propter præuaricationem absolutus est. L.

H, *l. 2. ff. de præuar.*
I, *l. si is, ff. eod.*
L, *l. 6. ff. de præuaric.*

§. Collusio enim vbiq; prohibita est: M, & est inter actorem, & Reum latens, ac fraudulenta conuentio, per quam alter in iudicio superari se sinit, idcircò cum non iusto contradictore, quis ingenuus pronunciatus est: proindè inefficax est decretum, atque si nulla res iudicata interuenisset; N, & stellionatus pœna plectitur. O.

M, *glos. fin. & ibi add. in l. qui autem §. si patronus, ff. si quis omissa causa.*
N, *l. 3. ff. de collus. detegenda.*
O. *l. 3. §. pen. ff. de crim. stell.*

TITVLVS XVI.

De Calumnia.

ALTERVM vitium accusationis est calumnia, nam accusatorum temeritas, sicut præuaricatione, vel collusione detegitur, sic calumnia nō celatur; calumniari enim est falsa crimina intendere: A, & calumniatores appellati sunt illi, qui per fraudem,

A, *l. 1. ff. ad Turpill.*

B, *l. 233. ff. de verbor. signif.*

dem, & frustrationem alios litibus vexant. B.

§. Accusator verò, qui non probat, quod intendit non vtique protinus calumniari videtur; nam eius rei inquisitio, arbitrio cognoscentis committitur, qui Reo absoluto de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusandum processit, & siquidem eius iustum errorem repererit, absoluit eum; si verò in euidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat. C.

C, *l. 1. §. calumniatoribus, & §. sed non, ff. ad Turpil.*

§. Incidit etiam in crimen calumniæ, aut qui accusatorem summittit, aut qui instigat, aut qui mandat alicui, & instruit eum ad accusationem capitalem, dando probationes, allegando accusationes, & meritò; nam diffidendo crimini, quod mouet, & eximendo se periculo calumniæ, meritò calumniantis pœnæ subijci debuit; nisi subornatus accusator probauerit crimen, quod intendere suscepit.

§. Calumnia autem eo tempore coerceri solet, quo de causa, præsente accusatore iudicatur; ideòque posteaquam de causa iudicatum est, contra consuetudinem, calumniam accusatoris puniri desideratur. D.

D, *l. 1. C. de calum.*

E, *l. mater, C. de calum. l. vlt. ff. de pub. iud. §. si verò instit. de pub. iud.*

§. Mater, & Pater inter personas eas sunt, quæ sine calumniæ timore, necem filij sui vindicari possunt. E.

§. Extraneus verò hæres, qui suspicionem, quam de morte sua habuisse defunctus cauit, exequitur, hoc nomine à calumnia excusatus est; cum inter voluntariam accusationem, & officij necessitatem hæredis multùm intersit. F.

F, *d. l. mater, §. sed extraneus, C. de calumn.*

§. Nec etiam facilè Tutores, vel Curatores, qui ex officio, & periculo suo res pupillorum, vel adolescentium administrant sententia notantur, nisi euidens eorum calumnia iudicanti apparebit. G.

G, *l. 2. C. de his, qui accus. non possunt.*

§. Pœna verò calumniantium infamia est;

sed

sed ita demum calumniator infamia notatur, H, *l. Athletas §. ca-*
si fuerit calumniæ causa damnatus, neq; enim *lumniator ff. de ijs,*
sufficit calumniatum: H. immò etiam lege *qui not. infam.*
Rhemia punitur; I, ex illa enim lege calu- I, *l. 1. §. calumnia-*
mniatoribus littera fronti imprimebatur, L, *toribus ff. ad Turp.*
ideò Papinianus de testibus dixit, ad officium L, *Glos. ad marg. in*
iudicantium pertinere, eius quoque testimo- *l. si quis, ff. de testib.*
nij fidem, quod integræ frontis homo dixerit M, *d. l. si quis in fi-*
perpendere; M, qui verò accusationem, alie- *ne, ff. de testib.*
nis nominibus præsumpsissent, sicuti delato-
rum numero sunt ducendi, ita calumniosum N, *l. nostris, vers.*
caput, & personam iudicio irritæ delationis in- *quoniam, C. de ca-*
famiæ supplicium sequitur: N, quoniã qui cri- *lumnia.*
men intendit non impunitam fore nouerit li-
centiam mentiendi; cum calumniantes ad vin- O, *l. quisquis, C.*
dictam poscat similitudo supplicij. O. *eod.*

TITVLVS XVII.
De Tergiuersatione.

VITIO quoque tergiuersationis, seù desistentiæ, accusatio aliquando impetitur; quando scilicet temeritate accusatorum in vniuersum ab accusatione pu- A, *l. 1. § calumnia-*
blici, non priuati delicti desistitur: A, etiam *ri ff. ad Turpill.*
destitisse is videtur, non qui distulit, sed qui B, *l. destitisse, ff. de*
liti in totum renunciauit: B, Desistere autem *minor. l. 10. ff. de iu-*
est à negotio in totum abstinere, quod calu- *dicijs.*
mniandi animo instituerit. C. C, *d. l. 10. ff. de*
iudicijs.

§. Planè si quis nolens in lite improba per-
seuerare, quam calumniæ causa, non instituerat, is destitisse non videtur. D. D, *l. 10. § plane ff.*
de iudic.

§. Mulier, quæ falsi crimen iniuriæ propriæ
post interpositam denũciationem desistens o- E, *l. mulier 4. ff.*
misit, Turpilliano teneri nõ videtur: E, si verò *ad Turpil.*
suam, suorumq; iniuriam exequatur cum ipsa
pacto contra vetitum destitisse profiteatur, in F, *l. si fœmina,*
Turpilliani pœnã, eã incidisse certi iuris est. F. *C. eod.*

Reus

§. Reus quoq; qui condemnatus prouocauit, & accusator destitit in Turpillianum incidisse videtur, quia prouocationis remedio condemnationis extinguitur pronunciatum. G.

§. Et qui iudicij publici quæstionem, citra veniam abolitionis deseruerunt, Decurionum honore decorari non possunt: cum ex Turpilliano notentur ignominia, H. Refert tamen inspicere si consulto, an casu desistatur. I.

G, l. 1. §. fin. ff. ad Turpill.
H, l. 6. §. qui iudicij, ff. de Decurion.
I, l. absentem, §. refert, ff. de pœnis.

TITVLVS XVIII.

De Popularibus Actionibus.

CVM quædam sint delicta, quæ cuique de populo conceduntur accusari, vt persequantur, ideò de populari actione dicimus, quæ suum ius populo tuetur, A, cum non ad rem familiarem, sed magis ad vltionem pertineat, vt actio sepulcri violati; B, & actio de ijs, qui deiecerint, C, & de termino amoto; D, & omnes actiones in factum, quæ hodie redduntur loco interdictorum de rebus publicis: veluti ne quid in loco publico, vel itinere fiat, quod interdictum perpetuum, & populare est. E.

§. Actio autem popularis cuilibet de populo, & integræ personæ permittitur, hoc est cui per edictũ de postulando postulare licet. F.

§. Quod si plures simul hac actione agant, Prætor eligit idoneum, maximè illum cuius interest. G.

§. Mulieri, & pupillo hæc actio non datur, nisi cum ad eos res pertineat. H.

§. Populares, actiones, meram continent pœnam, ideò neque post annum, neque in hæredes dantur. I.

Finis Libri Primi.

A, l. 1. ff. hoc tit.
B, l. 6. ff. de sepul. violat.
C, l. 5. §. hæc autem, ff. de ijs, qui deiecerint.
D, l. 1. ff. de termino, &c.
E, l. 2. §. hoc interdictum, ff. ne quis in loco, &c.
F, l. 4. ff. de popul. act.
G, l. 2. l. 3. ff. hoc tit.
H, l. 6. ff. hoc tit.
I, l. 8. ff. hoc tit. & l. vnica §. vltimo, ff. si quis ius dicenti non obtemper.

IN-

INSTITVTIONVM CRIMINALIVM LIBER SECVNDVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Delictis, & eorum Diuisione.

SVPERIORE libro de introductione causæ criminalis diximus: modò de delictis, & eorũ diuisione, veluti de materia criminali, ad Iudicis notionem spectante: dicendnm est, quæ notio duplex est, vna iuris, altera facti; & primò de illa, quæ iuris, & postea de illa, quæ facti est dicetur.

§. Sed antè omnia, vt iuris notio habeatur scire oportet, quid sit delictum, & rectè describi potest, esse actum, quo quis alteri dolosè nocet, ad differentiam quasi delicti, quo quis non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumque ob alterius culpam tenetur. A.

A, §. *item is, vers. ideò Instit. de oblig. ex quasi delicto.*

§. Dicitur quod delictum noceat, quod verbum, licet non pertineat ad damna, quæ in rem hominis liberi facta sunt; si fortè vestimenta eius, vel quid aliud scisum, corruptumue sit; sed ad ea, quæ in corpus eius admittitur; B, tamen generalitèr accipi debet, vt ad damna etiam, quæ in rem facta sint, pertineat: vnde is, cuius fundo via debetur,

B, *l. 1. §. hæc autem verba, ff. de ijs, qui deiecerint, vel effud. &c.*

C, *l. is, cuius ff. de aqua pluuiæ arcen.*

aquæ pluuiæ arcendæ agere potest fundi sui nomine; quoniam deteriore via facta, fundo nocetur. C.

§, Sed omnium delictorum, vel in cogitatione, vel in verbis, vel in factis, seu in gestis, commissio consideratur.

D, *l. fugitiuus ff. de verb. signif.*

§. Et quidem sola nuda cogitatio delictum non facit, idcircò fugitiuus est non is, qui solum fugiendi à Domino, consilium suscepit licèt id se facturum iactauerit; sed qui ipso facto fugæ initium deduxerit: atque etiam is, qui numquam alienam rem inuito Domino subtraxerit, numquam alienam matrem familias corruperit; si modo eius mentis sit, vt occasione data, id commissurus sit, tamen oportere hæc eadem crimina, assumpto actu, intelligi. D.

E, *l quisquis 6. C ad l. Iul. maiestat.*

§. Quod quidem etiam procedit in Reo criminis maiestatis; nam ex eo tempore, quo hanc cogitationem aliquo actu subijt, propter cogitationem pœna dignus est; eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura volunt. E.

F, *l. præsenti C. de ijs, qui ad Ecclesiã confugiunt.*

§. Idem de ijs, qui de sacrosanctis orthodoxæ fidei Ecclesijs expelli, aut trahi, vel protrahi confugas moliri, aut nuda saltem cogitatione, & tractatu, ausi fuerint tentare, capitali, & vltimi supplicij animaduersione plectendi sunt. F.

G, *l. item quid §. ait Prætor ff. de iniurijs.*

H, *d. l. item apud §. turpibus ff. de iniurijs.*

I, *l. aut facta, ff. de pænis.*

§. Verbis autem delinquitur, veluti si quis aduersus bonos mores conuicium, cui fecisse, cuiusue opera quis factum esse dicatur. G.

§. Item, qui turpibus verbis, vtitur, vel blanda oratione alterius pudicitiã attentat, H, aut scriptis, vt qui famosos libellos cõscribit. I.

§. Factis itidem delinquitur, & hoc dupliciter euenit, aut factis nudis, nempè cum quis faciat nuptias, vel spõsalia constituat cum ea, quam

quam vxorem ducere non poteſt, vel fas non eſt; L, aut factis, à quibus iuris effectus procedit; & hoc tripliciter euenire poteſt, vel propoſito, vel impetu, vel caſu; propoſito delinquunt latrones, qui factionem habent: impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, vel ad ferrum venitur: caſu verò cum in venando telum in feram miſſum, hominem interfecit: M, refert enim & in maioribus delictis conſulto aliquid admittatur, an caſu: & ſanè in omnibus criminibus diſtinctio hæc pœnam, aut iuſtam eligere debeat, aut temperamẽtum admittere. N.

L, l. quid ergo, §. cum autem ff. de ijs, qui not. infam.

M, l. Reſpiciendũ §. delinquunt, ff. de pœnis.

N, l. abſentem, §. refert, ff. de pœnis.

§. Delicta omnia cũ ſint offenſiones contra ius illatæ, vel in perſonam patrantur, vt homicidium, vel in rem, vt furtum, falſum, vel in rẽ ſimul, & perſonam, vt ſerui corruptio, vel in ſeipſum inſimul cum alio, vt delicta carnis.

O, l. locatio §. quod illicitè ff. de publi. & vectig.

§. Verùm quia cum delicta ſint alterius vtilitatis, atque ſtatus, vel publici, vel priuati læſiones; O, ideò delictorum omnium, quædam ſunt publica, quædam priuata: publica ea ſunt, vel quæ legibus iudiciorum publicorum veniunt; vt Iulia maieſtatis, Iulia de adulterijs, Cornelia de ſiccarijs, & veneficijs, Pompeia de parricidis, Iulia peculatus, Cornelia de falſis, Iulia de vi priuata, Iulia ambitus, Iulia repetundarum, Iulia de Annona: P, quorum tria nempè de falſis, de parricidis, & de ſiccarijs Cornelius Silla publica conſtituit; Q, vel quod in Religionem diuinam committuntur, vt de hæreticis, & ſchiſmaticis, de apoſtatis, de iudæis, & cæliculis, & de paganis. R.

P, l. 1. ff. de pub. iud.

Q, l. 2. §. deinde ff. de origine iuris.

R, vt C. ijſdem titulis.

§. Priuata delicta ea ſunt, quæ priuatum commodum vexant, atque deturbant, & omnia ex re naſcuntur, veluti ex furto, rapina, damno, iniuria. S.

S, §. primo Inſtit. de oblig. quæ ex delic. naſcun. l. ex maleficijs, ff. de act. & oblig.

§. Cuncta verò delicta, vel in committendo, vel in omittendo consistunt; in committendo illa sunt, quæ ab eodem committere, commissa, seu facta dicuntur; Delicta verò in omittendo illa sunt, quibus prætermittitur facere id, quod faciendum est. Grauior semper reputatur culpa in committendo, quàm sit illa in omittendo: idcircò qui furem nouit, siuè indicet eum, siuè non indicet, fur non est; cum multùm intersit furem quis celet, an non indicet: qui enim nouit furti non tenetur, qui celat eo ipso tenetur. T. Secus si seruum stichum stipulatus fuero; siquidem eum occidat promissor, expeditum est teneri; sin autem negligat infirmum, huius etiam culpæ nomine tenetur, ac si occiderit. V.

T, l. quiuas, §. qui furem, ff. de furtis.

V, l. si seruum ff. de verb. oblig.

§. Item delictorum alia absoluta, siuè positiua, alia respectiua, siuè relatiua; Absoluta sunt illa, quæ per se subsistunt, vt homicidium, furtum; falsum; Respectiua illa sunt, quæ ad alterum terminãtur, vt mandatum, adulteriũ.

§. Et tandem per respectum ad punitionem diuiduntur delicta in capitalia & non capitalia: capitalia illa sunt, ex quibus pœna mors, aut exilium est; hoc est aquæ, & ignis interdictio. Non capitalia illa sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coerctio pœna est. X.

X, l. publicorum, §. capitalia, ff. de pub. iud.

§. Hinc est quod olim, si quis actiones, quę ex maleficijs oriebantur, voluerit exequi; siquidem pecunialitèr agere voluerit, ad ius ordinarium, nimirùm ad Iudicem Ciuilem, remittendus erat, nec cogendus erat in crimen subscribere; & idcircò in quacumq; causa criminis extincti is cognoscebat, cuius de pecuniaria re erat cognitio: Y, enimuerò si extra ordinem eius rei pœnam exercere voluerit; tunc subscribere eũ in crimen oportebat. Z.

Y, l. 6. ff. de pub. iud.

Z, l. si quis, ff. de priuatis delictis.

Quo-

§. Quocirca meminisse oportet nunc furti plerumquè criminalitèr agi, & olim eum, qui agebat in crimen subscribere; non quasi publicum sit iudicium, sed quia visum fuit temeritatem agentium, etiam extraordinaria animaduersione fore coercendam. AA.

AA, l. meminisse, ff. de furtis supra lib. 1. tit. 4. §. scien-dum quoq; in fine.

TITVLVS II.

De Priuatis Delictis.

PRIVATA delicta, quædam ordinaria, quædam extraordinaria dicuntur; ordinaria sunt illa, quæ certum nomen habent, & certam pœnam merentur; veluti furtum, rapina, damnum iniuria: A, extraordinaria illa sunt, in quibus nullum certum nomen, nec vlla certa pœna præstituta est, certaq; petitione non agitur; sed pro arbitrio Iudicis; & qualitate commissi vindicantur. Nam si publicanus illicitè exegerit, cum altero tanto, hoc est duplum passis iniuriam, exoluit, per vim verò extortum cum pœna tripli restituitur; amplius extra ordinem per actionem vi bonorum raptorum plectitur: quoniam alterum vtilitas priuatorum, alterum vigor publicæ disciplinæ postulat. B:

A, l. ex maleficijs ff. de acti. & oblig. & ibi glos. malefi-cio.

B, l. locatio §. quod illicitè ff. de pub. & vectigal.

§. Actionibus verò ex delictis priuatis descendentibus, hæredes non teneri, nec cæteros quidem successores: idcircò nec furti conueniri possunt: sed quamuis furti actione non teneantur; attamen ad exhibendum actione eos teneri oportet, si possideant, aut dolo malo fecerint; quominùs possideant, C, & hoc procedit post litis contestationem cum fure habitam; D, pœnalia enim iudicia semel accepta, in hæredes transmitti possunt. E.

C, l. 1. ff. de priuatis delictis.

D, l. vnica C. ex delictis defunctorũ. infra lib. 4. tit. 17. §. cum certum vers. nihilominus.

E, l. 125. ff. de reg. iur. contra infra lib. 4. tit. 17. §. cum certum.

§. Sed hæredem furti agere posse equè con-

stat, atque etiam lege Aquilia, actionem habet; iniuriarum verò actio ei non competit. F.

F, *l. prima §. haeredem ff. de priuatis delictis*.

§. Qui autem hominem surripuerit, & occiderit, quia surripuit furti; quia occiderit Aquilia tenetur. Idem dicendum est si rapuerit, & occiderit; nam, & vi bonorum raptorum, & Aquilia tenetur: G, duo enim sunt delicta, alitèr atque si quis vno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit, tunc enim vna erit actio de occiso. H.

G, *l. 2. §. qui igitur ff. de priuatis delictis*.

H, *l. 32. §. si idem ff. ad legem aquiliam*.

TITVLVS III.

De Furtis.

MODO de ipsis priuatis delictis in specie dicendum est; & primò de furtis, à quibus fures denominantur; fures enim vocantur illi, qui occultè, & sine armis delinquunt. A.

A, *Auth. sed nouo iure, C. de seru. fugit*.

§. Furti autem nomen exuberans est, & generale, quod nedum ad res inanimatas mobiles; verùm etiam ad animatas se mouentes respicit, & ideò furtum triplicitèr committitur, vel per contrectationem, vel per rapinam, vel per abductionem.

§. Furtũ per cõtrectationẽ dicitur à furuo eo, quia clam, & in obscuro fit, & plerumq; noctis tẽpore, vel dicitur à sermone, quo φωρας greci appellant fures, scil. ἀπὸ τοῦ φέρειν idest à ferendo, seu ab auferendo dixerunt. B.

B, *§. primo Instit. de obl. quae ex quasi delicto nasc. l. 1. §. 1, ff. de furtis*.

§. Furtum itaq; est contrectatio rei alienae fraudulentèr lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisuè, quod lege naturali prohibitum est, admittere. C.

C, *l. prima §. furtum, ff. de furtis*.

§. Ideò is, qui vtendum aliquid accipit, si illud alij commodauerit furti obligatur; satis enim

enim apparet furtum fieri : cum vsum alienæ rei in suum lucrum conuertit : species etiam lucri est ex alieno largiri,& beneficij debitorem sibi acquirere : vndè etiã is furti tenetur, qui ideò rem amouet, vt eam alij donet. D.

D, l. 56. ff. de furtis.

§. Contrectatio verò furti immediatam rei ablationem significat : quocirca sola cogitatio furti faciendi non facit furem : sicut is, qui depositum suscepit, si abnegat, non statim furti tenetur: sed ita si id intercipiendi causa occultauerit. E.

E, l. prima §. sola, ff. de furtis.

§. Idem de eo, qui furti faciendi causa conclaue intrauerit, nondum fur est : quamuis furandi causa intrauerit. F.

F, l. vulgaris § qui furti ff. de furtis.

§. Neque contrectatio ita crassè accipienda est : vt semper rem loco moueri significet, nam quandoque alitèr interpretanda venit: veluti si quis fraudulentèr re, quæ alias ex iusta causa apud se existit, non iure vtitur, sed abutitur : nimirum si is, cui te pecuniã ad matrem tuã perferendam dedisse proponis, parua quantitate numerata, reliquam in vsus suos conuertit: furtum fecisse dicendum est: quamuis pecuniam loco non amouit .. G.

G, l. si is cui C. de furtis.

§. Verum si quis putauerit Domini voluntate rem attingere, non esse furem dicendum est ; veluti qui re commodata, vel apud se deposita, vsus est, alitèr atque accepit : si existimabat se non inuito Domino id facere furti non tenebitur, sed nec depositi vllo modo tenebitur : commodati autem vt teneatur, in culpa existimatio erit, scilicet quod non debuerit existimare id Dominum permissurũ. H.

H, l. qui rem ff. de furtis.

§. Qui verò meretricem alienam ancillam rapuerit, vel celauerit, furtum non esse, verum est; nec enim factum quæritur, sed causa faciendi, causa autem faciendi libido fuit, non furtum. I.

I, l. 40. ff. de furtis. infra tit. 25. §. nõ tamen, vers. quia causa.

TITVLVS IV.

De diuersis Furtorum Generibus;

A, *l. furtorũ ff. de furtis.*

FVRTORVM genera duo sunt manifestum, nec manifestum A, fur verò manifestus quem Græci αὐτόφωρον appellant, hoc est, qui deprehenditur cũ furto, & parũ refert à quo deprehendatur vtrum ab eo, cuius res est, an ab alio; sed vtrum ità demum fur sit manifestus, si in faciendo furto deprehendatur? & magis est, & si non ibi deprehendatur, vbi furtum fecit; attamen esse furem manifestum, si cum re furata fuerit deprehensus, priusquam eo loci rem pertulerit, quo destinauit, eo die cum eo furto manere; sed si pertulerit quo destinauit, tametsi deprehendatur cum re furata, non tamen est fur manifestus. B

B, *d. l. furtorum, 3. 4. ff. de furtis.*

§. Nec manifestum furtũ quod sit apparet, nam quod manifestum non est, hoc scilicet neç manifestum est. C.

C, *l. 8. ff. de furtis.*

§. Sunt etiam quædam furta, quorum qualitas ab alijs discernitur; nam quædam ratione domesticitatis, vt de furtis à domesticis factis, vel ratione contignationis, vt de tigno iniuncto, vel ratione damni illati, vt arborũ furtim cæsarum, vel ratione personarum furantium, veluti de vxoribus res viri amouentibus, de Nautis, cauponibus, & stabularijs pro rebus, ex eorum nauibus, seu tabernis, aut stabulis ablatis, & de seruis alteri, quàm Domino furantibus.

§. Furta siquidem domestica sunt illa, quæ serui Dominis, vel liberti patronis, vel clientes, vel mercenarij ijs, apud quos degunt furri-

ripiunt, & hæc si viliora sint, publicè vindicanda non sunt, nec admittenda est huiusmodi accusatio: D, quia contra hos furti actio non nascitur. E:

§. Sed si filius famil. qui habet peculium castrense furtum patri fecerit, potest pater actione vtili in factum aduersus eum agere, eò quia habet vndè satisfaciat; si verò pater res filij castrensis peculij subtraxerit, non tantùm facit furtum filio, sed etiam furti tenetur. F.

§. Furta verò ratione contignationis illa sunt, quæ lege 12 tabularum, neq; vindicare, neq; soluere permittuntur, eo quia ædibus vel vineis iniuncta sunt, veluti tigna, seu omnis alia materia derubata, ex qua ædificium constat, vineæq; necessaria, & hoc prouidentèr lex effecit, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur; sed in eum, qui conuictus est in duplum dat actionem. G.

§. Furtà verò damni illati sunt illa, quæ ignorante Domino, celandiq; causa patrantur, veluti si quis furtim arbores ceciderit: H, vnde si quis radicitus arborem euulserit, vel extirpauerit actione arborum cæsarum non tenetur, sed Aquilia, quasi ruperit; I, at si quis ceciderit, & lucri faciendi causa contrectauerit etiam furti tenebitur: L, si verò plures eamdem arborem furtim ceciderint, cum singulis in solidum agitur. M.

§. Furta verò ratione personarum illa sunt, quibus conditio personarum temperamentum quodam delicto imponit: Nam si vxor rem mariti consilio diuortij surripiat, quamuis cũ ea furti agi non possit: tamen actio rerum amotarum non denegatur: N, quod si mulier post diuortium, res amotas contrectauerit, etiam furti tenebitur. O.

D, *l. respiciendũ, §. furta ff. de pœnis.*
E, *l. si libertus ff. de furtis.*
F, *l. si quis §. sed si filius, ff. de furtis.*
G, *l. prima ff. de tigno iniuncto, l. gima vers. & actione, l. tigni, ff. ad exhiben.*
H, *l. prima ff. arborum furtim cæsarum.*
I, *l. 7. §. si quis radicitus, ff arborum furtim cæs. &c.*
L, *l. 8. §. furtim. ff. eod.*
M, *l. 6 ff. eod.*
N, *toto tit ff. de actione rerum amotarum, l. 53. ff. de furtis.*
O, *l. 3 ff. rerum amotar.*

De

§. De seruis autem dictum est, quod si dolo malo eius, qui liber iussus erit, post mortem Domini antè aditam hæreditatem in bonis, quæ eius fuerint, qui eum liberum esse iussisset furtum factum esse dicetur, quominùs ex his bonis ad hæredem aliquid perueniret, in eum intra vtilem annum dupli iudicium datur; P, quia natura æquum est, non esse impunitum eum, qui hac spe audacior factus est; quia neque vt seruus se coerceri posse intelligit, spe imminentis libertatis, neque vt liberum damnari; quia hæreditati furtum fecit, hoc est Dominæ; Dominus autem, Dominaue non possunt habere furti actionem cum seruo suo, quamuis postea ad libertatem peruenerit, vel alienatus sit; nisi posteaquam eam rem contrectauerit: Q, Nam æquum fuit calliditatem, & proteruiam eorum, qui hæreditates depopulantur duplicatione in factũ coerceri. R

P, *l. prima ff. si quis testam.*

Q, *l. 1. §. hæc autem ff. si quis testamen. l. prima vers. cum tamen, C. de Noxal. act.*

R, *d. l. prima, §. hæc autem vers. itaque.*

§. Si verò familia furtum fecisse dicatur, hoc est plures serui furtum admiserint, datur Domino arbitrium, vt si quidem velit dedere noxios, possit omnes dedere; enimuerò si maluerit æstimationẽ offerre, tantum offerat, quantum si vnus liber furtum fecisset, & retineat familiam suam. S.

S, *l. prima ff. si familiam suam.*

§. Hæc autem facultas Domino tribuitur, quoties ignorante eo furtum factum est: cæterum si sciente eo, & non prohibente facultas ei non erit danda; nam & suo, & singulorum nomine conueniri potest, noxali iudicio. T.

T, *d. l. prima §. hæc autem, ff. si familiam. facit infra tit. 9. §. sed videndũ.*

§. De Nautis, cauponibus, & stabularijs cautum est, quod si quid à quoque eorum, quos, quasq; habebunt in eorum nauibus, cauponis, seu stabulis, furtum factum sit iudiciũ datur, siuè furtum ope, & consilio exercentis factum sit, siuè eorum, cuius qui in ea naui

nauigandi causa essent, & in duplum actio est. V.

§. Caupo autem præstet factum eorum, qui in ea caupona eius cauponæ exercendæ causa ibi sunt; viatorum autem factum non præstat, X, quia culpa Reus est, quod opera malorum hominum vtatur; ideò quasi ex maleficio teneri videtur: Z, nisi receperit rem saluam fore, & res immissæ assignatæ fuerint; & hoc ipso, quod in nauim, cauponam, & stabulum immissæ sunt, receptæ videntur, & omniũ eũ recepisse custodiã, quæ in illis illatæ sunt, & tunc non solùm factum nautarum præstari debet; sed etiam vectorũ, vt recepta restituant. AA.

§. Sunt etiam, & alia genera furum præter eos, qui occultè, & sine armis delinquunt, BB, vt sunt fures saccularij, qui vetitas artes exercentes, in sacculos partem subducunt, partem subtrahunt: Item qui directarij appellantur, hoc est ij, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, plusquam fures puniendi sunt: idcircò aut ad tempus in opus dantur, aut fustibus castigantur, & dimittantur, aut ad tempus relegantur, CC.

§. Alii Dardenarij dicuntur, & sunt *illi*, qui annonarias merces coemptas tãtisper supprimunt donec cariùs eas vendendi occasio se offerat. DD.

§. Sunt quoque alii fures, qui Balnearii appellantur, & sunt ii, qui ex balneo quid surripiunt eorum, qui in balneis se lauant; ad instar furum nocturnorum, isti extra ordinẽ audiendi sunt; & causa cognita puniendi dummodo in pœna operis publici modus non egrediatur. EE.

§. De expilatoribus autem dicendum est, quorum genus duplex est, vnum hæreditatum,

V, *l. vnica §. nauigandi, ff. furti aduersus naut.*

X, *d. l. vn. §. caupo & l. ex maleficijs, §. item exercitor ff. de act. & oblig.*

Z, *d. §. item exercitor.*

AA, *l. prima §. recepit autem ff. nautæ, caup. stab.*

BB, *Auth. sed nouo iure C. de seruis fugit.*

CC, *l. 7. ff. de extraord. delictis, l. 1. §. expilatores, vers. simili modo, ff. de effractoribus.*

DD, *l. annonam, ff. de extraord. delictis.*

EE, *l. prima ff. de furibus balnearijs.*

alterum aliarum rerum: de expilatoribus hæreditatum statutum est, quod licet contra eos furti agi non possit, FF, si ante aditam hæreditatem, vel post aditam antequam res ab hærede possessæ sint; nihilominus vel ciuilitèr ad exhibendum agere posse eum, qui vendicaturus exhiberi desiderat; vel criminalitèr extra ordinem agere permittitur; GG.

FF, *l. ultima C. de crim. expilatæ hæreditatis, l. 2. §. apparet, ff. eod.*

GG, *l. 2. §. apparet, & l. 3. ff. de crimin. expil. hæred.*

§. De expilatoribus aliarum rerum; sciendum est esse illos, qui ædes alienas, aut villas expillant, effringunt, expugnant; HH. & hi atrociores sunt fures, qui si in turba cum telis fecerint capite puniuntur, alij in opus publicũ, vel perpetuum, vel temporarium dari solent; honestiores verò ordine, ad tempus, vel patriæ fines iubere excedere, quibus nulla specialis pœna imposita est: idcircò causa cognita, liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit. II.

HH, *l. hi qui ædes, ff. de vi pub.*

II, *l. 1. §. expilatores ff. de effractoribus.*

§. Verum si quis crimen expilatæ hæreditatis obieçerit, & destitit pœna Turpiliani non subibit, nec furti, nec iniuriæ; sed officio Iudicis culpa eius çoerçebitur. LL.

LL, *l. 7. §. si stellionatus ff. ad Turpilianum.*

§. De pœnis autem furum sçiendum est, quòd qui violentèr aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut in itineribus, aut in mari, pœnis legalibus subijçiuntur. MM.

MM, *Auth. sed nouo iure §. fures autem C. de seruis fugit. §. si verò, Auth. vt nulli iudicum.*

TITVLVS V.

De Rapinis, seu vi bonorum raptorum.

FVRTVM per rapinam dicitur violentũ, & fraudulenta rei alienæ mobilis, vel se mouentis inuito Domino ablatio, animo

nimo lucri faciendi facta : A, ideò vi bonorum raptorum actio, quæ cum pœna sua retrahit ablata, potius ad mobilia, & se mouentia, quam ad immobilia scilicet ad fundos per iniuriam occupatos spectat. B.

§. Quapropter, qui rem rapuit, & furti, nec manifesti tenetur, in duplum, & vi bonorum raptorum in quadruplum; sed si ante actum sit vi bonorum raptorum, denegāda est furti actio : si ante furti actum est, non est illa neganda, vt tantùm id, quod amplius ea est consequatur. C.

§. Idem si quis ex domo, in qua nemo erat, rapuerit, actione de bonis raptis in quadruplū conuenitur : D, veluti si cui dolo malo hominibus coactis, damni quid factū esse dicatur E. in eum, qui id fecerit de vi bonorum raptorū, etiamsi sine vi dummodò dolo sit admissum, & occasione data vim commissurus sit F, intra annum in quadruplum iudicium datur, post annum in simplum.

§. Homines verò coactos accipere debemus, ad hoc vt damnum detur, neque additur quales homines, qualescumq; siuè liberos, siuè seruos, sed etsi vnus homo coactus sit adhuc dicemus homines coactos esse. G.

§. Cuius autem dolo malo in turba damnū, quod factum esse dicetur, in eum in anno, quo primo de ea re experiundi potestas fuit, in duplum post annum in simplum iudicium datur; H, & dicitur turba si plures sint puta decem, aut quindecim homines. I.

§. In hac actione non vtique spectamus rē in bonis actoris esse; sed siuè in bonis sit, siuè non sit; tamen ex bonis sit, locum hæc actio habebit. L.

§. Non prodest modo ei, qui vi rapuit ad euitandam pœnam, si antè iudicium restituat rem,

A, *toto tit. ff. & C. de vi bonorum raptorum.*

B, *l. prima C. hoc tit.*

C, *l. 1. ff. hoc tit.*

D, *l. si quis, ff. de furtis.*

E, *l. Prætor ff. hoc tit.*

F, *arg. text. in l. 225. ff. de verb. signif.*

G, *d. l. Prætor, §. homines, §. si quis, ff. hoc tit.*

H, *l. 4. ff. hoc tit.*

I, *d. l. 4. §. turbā.*

L, *l. Prætor ait §. in actione ff. hoc tit.*

rem, quam rapuit, M, pœna enim non solum dupli, vel quadrupli erit (vt dictum est) sed etiam lege Cornelia de vi publica, atq; priuata teneri potest. N.

M, l.5.ff.de vi bon. rapt. l.49.ff.de furtis.

N, l.3.ff.de vi priuat.

§. Huius criminis etiam Latrones, Grassatores, Piratæ, & Prædones Rei sunt, & de eo argui possint: Latrones sunt, qui latrociniũ committunt, quod dupliciter consideratur vno modo prout distinguitur à furto veluti qui arbores, & maximè vites ceciderint; hi enim tamquam latrones puniri possunt. O, Altero modo prout in se immanem violentiam habet, cum vltra rapinam etiam homicidium intendatur committere, vt facilius rapina patretur: hi enim in iis locis, vbi grassati sunt furca figendos, vt ex conspectu deterreantur alij ab iisdem facinoribus, & solatio sit cognatis, & affinibus interemptorum eodem loco pœna reddita, in quo latrones homicidia fecerunt, P, & ideò latrocinantem licitum est occidere, eum enim, qui inferendæ cædis voluntate præcesserat iure cæsum videri, Q, immò in quæstionibus latronum nullum Quadragesimæ tempus, nec venerabilem Paschæ diem Praetores existiment excipiendum; ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cum facillimè in hoc Summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus, & incolumitas procuratur. R.

O, l. sciendum ff. arborũ furtim, &c.

P, l.capitalium, §. famosos, ff. de pœn.

Q, l.sicut allegas, C. de siccarijs facit id, quod dicitur infra tit.9. §. verum.

R, l.Prouinciarum C. de ferijs.

§. Grassatores hi sunt, qui ex insidiis viatores impetu gradiendi adoriuntur, atq; proximi latronibus habentur, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur. S.

S, l. Capitalium, §. Grassatores, ff de pœnis.

§. Sunt etiam quidam huius generis fures, qui prædones, seu latrunculi vocantur: hi cùm hostes non sint; hostilitèr tamen grassantur, qui

qui nullo, & certo duce, neque eo nomine, neque numero præditi; excursionibus, & latrociniis infestam Prouinciam reddunt. T.

T, *l. hostes ff. de captiuis. &c. Cicero 2. de inuentione.*

§. Prædones etiam dicuntur illi, qui rem sibi debitam sine voluntate Domini arripiunt; vt puta si ex stipulatione tibi stichum debeam, & cum tibi non tradam, tu autem nactus fueris possessionem, prædo es, æquè, ac si cùm dedero rem tibi, nec tradidero, & sine voluntate mea nactus sis possessionem, non pro emptore possides, sed prædo es V.

V, *l. si ex stipulatione ff. de acquir. vel amitt. possess.*

§. Si quis autem rem suam rapuerit; vi quidem bonorum raptorum non tenebitur, sed aliter mulctabitur, X, possessionem enim, quam abstulit restituat possessori, & dominiũ eiusdem rei amittat. AA.

X. *l. 2. §. hac actione is demum, ff. de vi bon. rapt.*

AA, *l. si quis in tantam circa finem, C. vnde vi: inf. tit. 19. §. vim hic.*

§. Piratæ verò marini prædatores sunt, & hi in numero furum habendi sunt, à quorum insidiis, sicut à latronum, hostiumq; incursu veluti à casibus, quibus resisti non potest, quicumque excusatur. BB.

BB, *l. in rebus, ff. commodati.*

§. Seruus etiam non in omnibus rebus sine pœna, Domini dicto audiẽs, hoc est obediens, esse solet; quare quamuis Domini iussu piraticam fecisset rapinam, iudicium in eum post libertatem reddi oportet CC, vndè si id inscio Domino commiserit postremo supplicio deditus luere perpetrata debet. DD.

CC, *l. seruus ff. de action. & oblig.*

DD, *l. seruos, C. de vi pub.*

§. Effractores autem, qui effracto pariete pecuniam auferunt, quinquennio abstinere à Prouincia, vndè sunt; si sunt Equites Romani; sed in effractores, & in cæteros atrociores fures prout sunt nocturni effractores, causa cognita, statui oportet, prout admissum suggerit, dum ne quis, in plebeio, operis publici pœnam, vel in honestiore, relegationis excedat. EE.

EE, *l. prima §. expilatores vers. sed enim, ff. de effractor. l. 3. §. effractores, ff. de officio Præf. vig.*

TITVLVS VI.

De Incendio, Ruina, Naufragio, Rate, naue expugnata.

TITVLVS iste consequitur ad proximum, quoniam in eum, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, naue expugnata, quid rapuisse dolo malo, damnive quid in his rebus dedisse dicetur, in quadruplum in anno, quo primum de ea re experiundi potestas fuit, post annum in simplum iudicium datur. A.

A, l. prima ff. hoc tit. l. in eum, ff. de furtis.

§. Ex incendio rapi accipitur, hoc est propter incendium, vel propter tumultum incendij, seu propter trepidationem incendij, sicut in bello dicimus amissum, quod propter causam belli amittitur: proinde si ex adiacentibus prædijs, vbi incendium fiebat raptum quid sit, dicendum de incendij actione teneri, quia verum est ex incendio rapi. B.

B, l. prima, §. ex incendio, ff. hoc tit.

§. Idem si ex ruina, cuius appellatio ad id tempus, quo ruina fit refertur non tantùm si ex ijs, quæ ruerunt tulerit; sed etiam si ex adiacentibus. C.

C, d. l. prima, §. item ruinæ, ff. hoc titulo.

§. Quid si ex naufragio: hic illud quæritur vtrum si quis eo tempore tulerit, quo naufragium fit, an verò, etsi alio tempore tulerit, hoc est & post naufragium? namq; res ex naufragio etiam eæ esse dicuntur, quæ in litore post naufragium iacent, & magis est, vt eo tempore, & loco, quo naufragium fit, vel factum est, incidisse in actionem vi bonorum raptorum videatur, qui autem rem in litore iacentem postquam naufragium factum sit abstulerit, in ea conditione est, vt magis fur sit. D.

D, l. prima, §. item, l. 2. l. 3. ff. hoc titulo.

Dein-

§. Deindè ratem, nauem expugnare videtur, qui in ipso quasi prælio, & pugna aduersus nauem, & ratem aliquid rapit, siuè expugnet, siuè prædonibus expugnantibus rapiat. E.

E, l. 3. §. deindè, ff. hoc titulo.

§. Et licet dictum sit supra, quòd in eum, qui ex naufragio, vel incendio, quid cœperit, vel in his rebus damni quid dederit, intra annum vtilem ei cui res abest quadrupli, post annum in simplum, actio prodita est: F: Nihilominus plurimum interest aduertere, an si qui ex naufragio diripuerint, peritura collegerint, an quæ seruari possent flagitiosè inuaserint, ideòq; si grauior præda vi appetita videbitur, liberi quidem fustibus cæsi in triennium relegabuntur, aut si sordidiores in opus publicum eiusdem temporis dabuntur, si non magnæ pecuniæ res fuerit, liberi fustibus, serui flagellis cæsi dimitti possunt. G.

F, l. in eum §. Diuus C. de furtis.

G, l. Pedius, §. Diuus, ff. de incendio, &c.

TITVLVS VII.

De Abigeis.

ABIGEATVS crimen in furtorum numero similitèr describi potest; ideò Abigeatus crimen publici iudcij nō est, quia furtum magis est: A, & numerus abactorum, aut furem, aut abigeum facit: nam oues decem, porci quinque; vel quatuor, equus vnus, vel bos, abigeatus crimen facit. B.

A, l. secunda ff. hoc tit.

B, l. oues 3. ff. hoc tit.

§. Quantitas enim discernit furem ab abigeo; nam qui vnum suem surripuerit, vt fur coercebitur, qui gregem vti abigeus. C.

C, l. aut facta §. quantitas, ff de pœnis.

§. Qui verò sæpius abegerunt licet semper vnum, vel alterum pecus surripuerint, abigei tamen sunt. D.

D, l. oues, ff. hoc tit.

§. Si verò quis oues aberrātes, vel equos in so-

solitudine relictos, abduxerit; nō est abigeus, sed fur potius dicendus est; E, quia animal errans non est in Domini naturali possessione; sed ciuili. F.

E, *l. prima, §. abigei ver. caeterum, ff. hoc tit.*

F, *l. 3. §. nerua, ff. de acquir. poss.*

§. Hinc est, quod animaliū abductores, abigei vocātur, & ij propriè dicūtur abigei, qui pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt, & quodammodò deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent; oues de gregibus, vel boues de armentis abducentes: G. his enim cura est alienis insidiari animalibus, & ea alibi transportare. H.

G, *l. 1. §. abigei, ff. hoc tit.*

H, *Auth. de Nuptijs, §. si igitur.*

§. Horum pœna arbitraria est; quamuis durissimè puniantur, cum ad gladium quoq; damnari solent: puniuntur autem durissimè non vbique, sed vbi frequentius est id genus maleficij: alioquin, & in opus nonnumquam temporarium dantur: ideò qui porcum, vel capram, vel veruicem abduxerint; non tàm grauitèr, quàm qui maiora animalia abigūt plecti debent: quamquam metalli pœna item operis, vel etiam gladij præstituta fuerit. Attamen qui honestiore loco nati sunt, non debent ad hanc pœnam pertinere, sed aut relegandi erunt, aut ordine amouendi, I, sanè. quia plerumque abigei, & ferro vtuntur, si deprædantur grauitèr puniri eorum admissum solet: L, quapropter quicumq; gladio abigunt, non iniquè bestijs obijciuntur. M,

I. *l. 1. & §. abigei, ff. hoc tit.*

L, *l. Abigeatus ff. hoc tit.*

M, *l. 1. §. abigei in fine vers. sanè, ff. hoc tit.*

§. Eum quoque plenius coercendum, qui à stabulo abegit domitum pecus, non à silua, vel grege. N.

N, *l. 3. vers. cum quoque ff. hoc tit.*

§. Aduerti tamen oportet, quod qui pecora, de quorum proprietate faciebat controuersiam, abegit, ad examinationem ciuilem remittendus est: sed hoc ita demùm probandum est, si non color abigeatus quæsitus est, sed verè putauit sua, iustis rationibus ductus. O.

O, *l. 1. §. qui pecora ff. hoc tit.*

TITVLVS VIII.

De Receptatoribus, & Susceptoribus.

RECEPTANTVR personæ delinquentes, & suscipiuntur res delicto affectæ; nam ij, qui res furatas in custodiam recipiunt, susceptores rerum dicuntur; & qui personas furum recipiunt, receptatores appellantur: ideò pessimum genus est receptatorum, sine quibus latere nemo furum; seù latronum diù potest; & isti puniuntur perindè atq; latrones; A, quia non minus quàm illi delinquunt: B, idcircò eos, qui secum alieni criminis Reos occultando eum, eamue sociarunt, per ipsos & Reos pœna expectet, & latrones quisquis sciens susceperit, & eos offerre Iudicibus supersederit supplicio corporali, aut dispendio facultatum pro qualitate personæ, & Iudicis æstimatione plectetur. C.

A, *l.* 1. *ff. de receptator.*

B, *l.* 3. §. *non autem, ff. de incendio, &c.*

C, *l.* 1. *C de ijs, qui latrones, &c.*

§. In pari quoque causa habendi sunt, qui cum apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel surreptorum parte, dimiserunt: D, Nihilominus receptatores abigeorum extra terram Italiam decem annis relegantur. E.

D, *l.* 1. §. *in pari, ff. hoc tit.*

E, *l.* 3. §. *receptatores ff. de Abigeis.*

§. Qui verò seruum, seruamue, alienum, alienamue corruptum, corruptamue dolo malo sciens receperit, in eum, quanti ea res erit, in duplum iudicium datur. F.

F, *l.* 1. *ff. de seruo corrupto.*

§. Susceptores verò rerum furatarum non minùs punibiles sunt, quàm receptatores furũ; nam ij, qui à seruo furtim ablata scienter susceperint, non tantùm de susceptis; sed etiam pœnali furti actione conueniri possunt. G.

G, *l. eos, qui* 14. *C. de furtis.*

§. Et ille suscepisse dicitur, si dolo malo susceperit rem furatam, vel seruum alienum abscondendi causa; H. quia non omnis, qui re-

H, *l.* 1. §. *quod autem ff. de seruo corrupto.*

cipit statim delinquit; nam si ignarus rem recipit, aut quid si ob hoc recipit, vt custodiret, saluamq; faceret ei, qui amiserat, non delinquit. I,

I, *l. 3. §. non tantum, vers. sed, ff. de incendio, &c.*

TITVLVS IX.

De Lege Aquilia, & Noxali actione.

DAMNVM, quod alicui datur, vel à liberis, vel à seruis infertur: illud, quod à liberis per legem Aquiliam corrigitur; quod autem à seruis noxali actione corripitur; de quibus hic videndum: & primo de lege Aquilia, quæ est plebis scitum ab Aquilio Tribuno plebis deriuata: A, & vt locum habeat requiritur, quod damnum iniuria,& culpa datum sit. Damnum ab ademptione, & quasi diminutione patrimonij dictū est; B, Iniuria verò accipitur, non vt contumeliam significet, sed vt non iure factum aliquid sit. C.

A, *l. 1. ff. hoc tit.*

B, *l. 3. ff. de damn. infect.*

C, *l. 1. ff. de iniurys.*

§. Culpa autem dicitur cùm quod diligentèr prouideri poterat, non fuit prouisum: D, idcircò etiam leuissima culpa in lege Aquilia attendenda est; nam si sciente Domino, seruus vulnerat, vel occidit, Aquilia Dominum teneri, dubium non est, scientiam autem Domini hic pro patientia accipimus, vt qui prohibere potuit teneatur, si non fecerit. E.

D, *l. 31. vers. culpam ff. hoc tit.*

E, *l. 45. & 46. ff. hoc tit. infra hoc tit. §. sed videndum.*

§. Quod dicitur damnum iniuria datum, Aquiliam persequi, sic erit accipiendum, vt videatur damnum iniuria datum, quod cum damno iniuriam attulerit; nisi magna vi cogente fuerit factum: Nam qui incendij arcendi gratia vicinas ædes intercidit cessare

con-

contra eum legis Aquiliæ actionem, dicendum est; iusto enim metu ductus fuit, qui ne ad se ignis perueniret, vicinas ædes intercidit, & siuè peruenerit ignis, siuè antè extinctus sit, credendum est legis Aquiliæ actionē cessare. F.

F, *l. 50. § quod dicitur ff. hoc titulo.*

§. Non autem cessat si defendendi mei causa lapidem in aduersarium misero, & non eū, sed prætereuntem percussero: nam hoc casu Aquilia tenebor; illum enim solum, qui vim infert ferire conceditur: G, cessat verò in eo, qui casu occidit; si modo culpa eius nulla inueniatur: H.

G, *l. 46. § sed si, ff. hoc tit.*

H, *§. iniuria Instit. de lege Aquilia.*

§. Cautum etiam est, vt qui seruum, seruamuè alienum, alienamue quadrupedem, vel pecudem iniuria occiderit; quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare Domino damnatur. I.

I, *l. 2. ff. hoc tit.*

§. Item si quis plus iusto oneratus deiecerit onus, & seruum occiderit, Aquilia locum habet; fuit enim in ipsius arbitrio ita se non onerare. L.

L, *l. 57. §. sed & si ff. hoc tit.*

§. Verum qui seruum insidiatorem occiderit lege Aquilia non tenetur, M, nam aduersus periculū naturalis ratio permittit se defendere; ideò eum, qui cum armis venit possumus armis repellere, sed hoc confestim non ex interuallo. N.

M, *§. iniuria Instit. de lege aquilia.*

N, *l. itaque ff. hoc tit. l. 3. §. eum igitur ff. de vi, & vi armata facit id, quod supra tit. 5. §. altero modo vers. & ideò.*

§. Aquilia à furto discernitur, quamuis furtum damnum sit: furtum enim cum lucro, Aquilia cum damno iniuria dato cōsideratur. Nam si quis de manu mihi nūmos excusserit; damni iniuriæ esse actionem, certum est; si ita perierint ne ad aliquem peruenirent, puta si in flumen, vel in mare, vel in cloacam ceciderint, quod si ad aliquem peruenerint ope, & consilio, furti agendum est, O, conueniunt tamen: nam si plures trabem deiecerint, & hominem operuerint, æquè omnes

O, *l. 27. §. si quis de manu, ff. hoc titulo.*

lege Aquilia tenentur, P, idem cùm plures trabem alienam furandi causa sustulerint, quã singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur. Q.

P, *l. 11. §. si plures, ff. hoc titulo.*
Q, *l. 52. §. aestimatio, vers. cũ plures, ff. hoc tit.*

§. Aquilia tenetur putator cum ex arbore ramum deiecerit, & hominem praetereuntem occidit, & ita tenetur, si is in publicum decidat, nec ille proclamauerit; vt casus eius euitari posset; immò etiam si in priuato idem accidisset, potest de culpa agi. R.

R, *l. 31. ff. hoc tit.*

§. Si verò magister in disciplina vulnerauerit seruum, vel occiderit, vel elusçauerit discipulum Aquilia teneri oportet, quia Praeceptoris nimia saeuitia culpae assignatur. S.

S, *l. 5. l. 16. ff. hoc tit.*

§. Si quis verò in colluctatione, vel pancratio, vel pugiles, dum inter se exercentur, alius alium occiderit; siquidem in publico certamine, cessat Aquilia, quia gloriae causa, & virtutis non iniuriae gratia damnum videtur illatum. T.

T, *l. 7. §. si quis, ff. hoc tit.*

§. Si Medicus seruum imperitè secuerit, vel si medicamento perperam vsus fuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia actionem competere dicendum est; sed si benè secuerit, & curationem dereliquerit securus non erit; sed culpae Reus intelligitur: V. nam licet eidem Medico imputari euentus mortalitatis non debeat; tamen quod per imperitiam cõmisit, imputari ei debet; praetextu enim humanae fragilitatis, quam asserit fuisse in aegro, delictum innoxium esse non debet. X.

V, *l. 7. §. proculus, l. 8. ff. hoc tit. glos. ex damno in l. ex maleficijs, ff. de act. & oblig.*

§. Mulio quoque si per imperitiam impetũ mularum retinere non potuerit, & eae alienum hominem obtriuerint culpae nomine tenetur. Z.

X, *l. illicitos. §. sicuti, ff. de officio Praesidis.*
Z, *l. 8. §. mulionem, ff. hoc tit.*

§. Caeterarum rerum praeter hominem, & pecudem occisam, si quis alteri damnum fecerit Aquilia tenetur; AA, nimirum si quis insulam

AA, *l. 27. §. huius, ff. hoc tit.*

ſulam meam voluerit exurere, & ignis ad vicini inſulam peruenerit; item ſi cùm apes meæ ad tuas aduolaſſent, tu eas exiſſeris: item qui vinum ſpurcauit, vel effudit, vel acetum fecit, vel alio modo vitiauit; BB, Ex his, & alijs ſimilibus damnis non quanti in eo anno, ſed quanti in diebus triginta proximis res fuerit obligatur is, qui damnũ dederit. CC.

BB, *d. l. 27. §. ſi quis, §. ſi cũ apes §. cum eo, ff. hoc tit.*

CC, *d. l. 27. §. huius ff. hoc tit. §. ex hoc Inſtit. de lege aquil.*

De Noxali actione.

§. NOxales verò actiones appellantur illæ, quæ non ex contractibus, ſed ex noxa, atque maleficio ſeruorum aduerſus Dominos inſtituuntur, quarum actionum vis, & poteſtas hæc eſt, vt ſi damnati fuerint Domini liceat eis deditione ipſius corporis, quod deliquit euitare litis æſtimationem. DD.

DD, *l. 1. ff. de nox. act.*

§. Sed videndum eſt an Dominus ſciens, vel ignorans fuerit; quoniam ſi ſeruus ſciente Domino occidit, inſolidum Dominum obligat, ipſe enim Dominus occidiſſe videtur, EE, vbicumque enim ſcientia Domini exigitur ſic accipienda eſt: ſi cum prohibere potuerit non prohibuit; FF, aliud enim eſt authorem eſſe, aliud pati delinquere. GG.

EE, *l. ſi ſeruus, ff. eod.*

FF, *l. in delictis, ff. eod. facit ſupra tit. 4. §. hac autem, & ſup. §. culpa autem hoc tit.*

GG, *l. in omnib. ff. eodem.*

§. Si autem inſciente Domino, noxalis eſt actio, non debet Dominus ex maleficio ſerui in plus teneri, quàm vt noxæ eum dedat, HH, cùm ex delictis ſeruorum Domini ignorantes, vel prohibentes ſi noxali actione conueniantur; ita condemnari debent, vt aut noxæ dedere, aut condemnationem ſufferre habeant in ſua poteſtate. II.

HH, *d. l. ſi ſeruus, ff. eod.*

II, *l. ſi ſerui, C. eod.*

TITVLVS X.

De Iniurijs.

A, *l. 4. ff. de act. & oblig. l. vlt. C. de iniurijs.*
B, *l. 1. §. vsque in fine ff. de iniurijs, cap. scienti de reg. iur. in 6. l. cum donationis ibi nec vnquam, C. de transact.*
C, *l. Prætor, §. atrocem ibi contumeliosiorem ff. de iniurijs.*
D, *l. eum qui ff. de iniur. l. 3. C. de offic. Rect. prou.*
E, *l. 15. §. conuicium, ff. hoc tit.*
F, *l. 1, §. omnem, ff. hoc tit.*
G, *l. 1. §. contumelia, §. iniuria, §. omnem, §. item, ff. hoc titulo.*
H, *l. illud, §. sanè, ff. hoc titulo.*

QVAMVIS generalitèr iniuria ex eo dicta sit, quod non iure fiat, vt supra dictum est; tamen specialitèr hic de iniuria, quæ re, aut verbis alteri fit, dicendum est delictum, A, quo quis alium inuitum B, contumelia C, immeritò afficit. D.

§. Igitur iniuria re fit, quoties manus inferuntur; verbis quoties conuicium fit: conuicium ideò dicitur, vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est à collatione vocum cùm in vnum plures voces conferuntur, & quasi conuocium dicitur. E.

§. Omnem idcircò iniuriam, aut in corpus inferri, aut ad dignitatem, aut ad infamiam pertinere dicimus: in corpus fit, cùm quis pulsatur; ad dignitatem, cùm Comes matronæ abducitur; ad infamiam cùm pudicitiæ attentatur. F.

§. Item aut per semetipsum alicui fit iniuria, aut per alias personas: per semetipsum cum directo ipsi patri famil. vel matri famil. fit iniuria, per alios cùm per consequentiam fit, vt cùm fit liberis meis, aut vxori, nuriue; spectat enim ad nos iniuria, quæ ijs fit, qui vel potestati nostræ, vel affectu subiecti sunt. G.

§. Verùm quia iniuria ex affectu facientis consistit; ideò nemo facere potest iniuriam, nisi scit se iniuriam facere, etiamsi nesciat cui faciat: quocirca furiosus, & impubes, qui doli mali capaces nô sunt, iniuriam facere non solent; pati autem iniuriam, etiamsi non sentiant, possunt. H.

§. Quare etiam si quis per iocum percutiat, aut-

aut dum certat iniuriarum non tenetur. I.

§. Iniuriarum actio duplex est vna Prætoria, altera legis Corneliæ: Prætoria illa est, que datur patri pro iniuria filio illata. L, Cornelia verò illa est, quæ directè competit iniuriato; Ideò illud quæritur, an pater fam. filio iniuriam passo ex lege Cornelia iniuria agere posse, & placuit non posse. M.

§. Quocirca, qui patris nomine iniuriarum agit ob eam rem, quod filius eius verberatus, pulsatusue sit, in stipulatione cogẽdus est filij quoque personam comprehendere; vt de rato cautum sit; præsertim cùm fieri possit, vt pater antè decedat, quàm scierit Procuratorem suum egisse, & ita iniuriarum actio ad filium redeat; N, quamuis in lege Cornelia filius famil. agere potest, ex omni causa; vt statim dicetur, nec cauere debet rem ratam habiturum cum suo nomine agat. O.

§. Sed sciendum est actionem legis Corneliæ de iniurijs ex tribus causis dari; nimirum quando quis pulsatus, vel verberatus, vel domus eius vi introita sit: apparet igitur omnem iniuriam, quæ manu fiat lege Cornelia contineri; sed inter pulsationem, & verberationem hoc interest, vt verberare sit cum dolore cedere: pulsare verò sine dolore sit: Domum autem accipere debemus non proprietatem domus, sed domicilium, quare siuè in propria domo, quis habitauerit, siuè in conducta, vel gratis, siuè hospitio, non tamen ad momentum receptus, lex Cornelia de iniurijs locum habet: ad meritoria autem, vel stabula non pertinebit. P.

§. De omni autem iniuria is, qui passus est, potest vel criminalitèr agere, vel ciuilitèr. Et siquidèm ciuilitèr agatur æstimatione facta pœna Reo imponitur; sin autem criminalitèr

I, *d. l. illud.*

L, *l. si sine §. fin ff. rem ratam hab. l. non solum §. si pater, ff. de Procuratoribus.*

M, *l. 5. §. illud quæritur ff. hoc tit. infra tit. 11. §. similiter pater.*

N, *d. l. si sine §. qui patris, ff. rem ratã haberi.*

O, *l. 5. §. in lege Cornelia ff. hoc tit.*

P, *l. 15. §. lex Cornelia, §. inter, §. domum. §. ego puto, ff. hoc titulo.*

Q, *§. summa Inst. hoc tit.*

offi-

officio Iudicis pœna Reo irrogatur. Q.

§. Pœna autem iniuriarum ex lege 12. tabularum propter membrum ruptum, talio erat, propter os fractum nummariæ pœnæ erant constitutæ: sed postea Prætores permittebant ipsis, qui iniuriam passi sunt, eam æstimare, vt Iudex, vel tanti Reum condemnet, quanti iniuriam passus æstimauerit; sed secundùm gradum dignitatis vitæq; honestatem crescit, aut minuitur æstimatio iniuriæ, qui gradus condemnationis, & in seruili persona non immeritò seruatur, vt aliud in seruo actore in medij actus homine, hoc est mediastino, aliud in vilissimo, vel compedito ius æstimationis constituatur. R.

R, §. *pœna autem Instit. hoc tit.*

§. Sed de iniuria extra ordinem ex causa, & ex persona statui solet, & serui quidem flagellis cæsi Dominis restituuntur, liberi verò, humiliores quidem loci, fustibus subijciuntur; cæteri autem, vel exilio temporali, vel interdictione rei certæ coercentur. S.

S, *l.45. ff. hoc tit.*

§. Aduertendum tamen est, quod qui agit iniuriarum certum dicat quid iniuriæ factum sit; quia qui famosam actionem intendit, non debet vagari cũ discrimine alienæ æxistimationis; sed designare certum, & specialitèr dicere, quam se iniuriam passum contendat. T.

T, *l. Prætor ff. hoc tit.*

§. Nam illo spectat dici certum de iniuria, quam quis passus sit, vt ex qualitate iniuriæ sciatur quale reddendum sit iudicium iniuriarum: Etenim liberto aduersus Patronum non quidem semper, verùm interdum iniuriarum dari iudicium, scilicet si atrox sit iniuria, quam passus sit, puta si seruilis est, id est talis, quæ seruo facta pareret actionem iniuriarum Domino. V.

V, *d. l. Prætor, §. præterea, vbi glos. seruilis ff. hoc tit.*

§. Atrocem iniuriam illam dicimus, quasi contumeliosiorem, & maiorem, & hæc tripli-

pliciter consideratur, scilicet persona, re, & tempore: persona atrocior iniuria fit cùm Magistratui, cùm parenti, patronoue fiat: Re atrocem iniuriam dicimus, vt puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum sit: tempore si in ludis, & in conspectu Prætoris iniuria facta sit. X. X, *l. 7. §. atrocem ff. hoc tit.*

§. Nonnumquam locus vulneris atrocitatem facit, veluti oculo percusso. Z. Z, *l. 8. ff. eod.*

TITVLVS XI.

Quibus actio iniuriarum competat.

CVM iniuria non solùm viuis, sed etiam defunctis inferatur aliquando, idcircò si fortè cadaueri defuncti fiat iniuria; si hæredes, bonorumue possessores existant, iniuriarum hæredum, vel bonorum possessorum nomine actionem habebunt: spectat enim ad eorum existimationem, si qua ei fit iniuria, idemq; est si fama eius, cui hæredes existunt lacessatur. A. A, *l. 1. §. & si fortè, ff. de iniurijs.*

§. Quoties autem funeri testatoris, vel cadaueri fit iniuria; siquidem post aditam hæreditatem fiat, dicendum est hæredi quodammodò factam; semper enim hæredis interest defuncti existimationem purgare; quoties verò antè aditam hæreditatem magis hæreditati, & sic hæredi per hæreditatem acquiri. B. B, *l. 1. §. quoties, ff. de iniurijs.*

§. Si verò viuenti iniuria inferatur, aliquando ex vna iniuria tribus oriri iniuriarum actionem videmus, neque vnius actionem per aliam consumi certum est, vt puta vxori meæ filiæ famil. iniuria facta est, & mihi, & patri, & ipsi iniuriarum actio incipiet competere. C. C, *l. 1. §. idem ait, ff. de iniurijs.*

Quòd

D. l. 2. ff. de iniurijs.

§. Quòd si viro iniuria facta sit, vxor non agit, quia defendi vxores à viris, non viros ab vxoribus æquum est. D.

E, l. 15. §. sponsum, ff. de iniurijs.

§. Sponsus quoque ad iniuriarum actionem admittendus est; etenim spectat ad contumeliam eius, iniuria quæcumq; sponsæ eius fiat. E.

F, l pater ff. de iniurijs, l. non solùm, §. si pater ff. de Procuratoribus sup. tit. 10. §. iniuriarum: vers. ideò.

§. Similitèr pater, cuius filio, facta est iniuria, non est impediendus, quominus duobus iudicijs, & suam iniuriam prosequatur, & filij; F. quia iniuria, quæ fit liberis nostris, nostrum perstringit pudorem: vt etiam si volentem filium, quis vendiderit patri suo quidem nomine competat iniuriarum actio, filij verò nomine non competat, quia nulla iniuria est, quæ in volentem fit. G.

G, l. 1. §. vsq; ff. de iniurijs.

H, l. 17. §. si filius ff. eod.

§. Si verò filius iniuriarum egerit, patri actio non competit. H.

§. Dominus quoque pro iniuria facta seruo, iniuriarum habet actionem; sed si quis sic seruo facit iniuriam, vt Domino faceret, Dominum iniuriarum agere suo nomine posse: si verò non ad suggestionem Domini id fecit, ipsi seruo facta iniuria inulta relinqui non debet; maximè si verberibus, vel quæstionibus affligeret. I.

I, d. l. 15. §. si quis sit ff. de iniurijs.

L, d. l. 15. §. item si liberum, ff. de iniurijs.

§. Item si liberum hominem, qui mihi bona fide seruit, quis ceciderit, distinguendum est; vt si in meam contumeliam pulsatus sit competat mihi iniuriarum actio. L.

M, l. 4. ff. de iniurijs.

§. Si cum seruo meo pugnum ducere vellé, in proximo testantem inuitus percusserim, iniuriarum non teneor. M.

N, d. l. 15. §. si quis pulsatus ff. de iniurijs.

§. Si quis pulsatus quidem non est; verum tamen manus aduersus eum leuatæ, & sæpè perterritus est, quasi vapulatus, non tamen percussus vtili iniuriarum actione tenetur. N.

§. Si quis Astrologus, vel qui aliquam illicitam diuinationem pollicetur consultus ali-

quem

quem furem dixisset, qui non erat iniuriarum eum agi non potest, sed constitutiones eum tenent, O, nimirum supplicio capitis ferietur, gladio vltore prostratus. P.

O, *d. l. 15. §. si quis astrologus, ff. de iniurijs.*

P, *l. nemo, C. de malef. & mathem.*

TITVLVS XII.

De Libellis Famosis.

INIVRIA non solùm re, & verbis; sed etiam scriptis, hoc est quidquid ad probrũ alicuius scriptum sit, ad infamiam spectare dicitur: vndè si quis librum ad infamiã certi hominis pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine vti de ea re agere liceret, & si condemnatus sit, qui id facit intestabilis ex lege esse iubetur. A.

A, *l. 5. §. si quis librum, ff. de iniurijs, l. ob carmen ff. de testibus.*

§. Eadem pœna tenetur ij, qui epitheta, aliudue quid, siuè scripturam in notam aliquorum produxerit; Item qui emendum, vendendumue curauerit, & ei, qui indicasset, siuè liber, siuè seruus sit pro modo substantiæ accusatæ personæ æstimatione Iudicis præmium constituitur, seruo forsan, etiam libertate præstanda. B.

B, *l. 5. §. ead. pœna, ff. de iniurijs.*

§. Siquis libello dato, vel Principi, vel alij famam alienam insectatus fuerit, iniuriarum agendum est. C, Ea verò, quæ infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt de medio tollenda veniunt, atq; etiam ex lege Cornelia iniuriarum actio ciuilitèr moueri potest, condemnatione, æstimatione Iudicis facienda. D.

C, *l. 15. §. si quis libello, ff. de iniurijs.*

D, *l. 37. ff. de iniurijs.*

§. Quocirca si quis famosum libellum, siuè domi, siuè in publico, vel quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat prius, quàm

alter

alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum: si verò non statim easdem cartulas, vel corruperit, vel igni consumpserit, sed vim eorum manifestauerit, sciat se quasi auctorem huiusmodi delicti capitali sententiæ subiugandum: sanè si quis deuotionis suæ, ac salutis publicæ custodiam gerit: nomen suum profitetur, & quæ per famosum libellum persequenda putauerit, ore proprio dicat: itaut absque vlla trepidatione accedat: sciens quidem, quod si assertionibus suis veri fides fuerit opitulata: laudem maximam, & præmium consequetur. Sin verò minimè, hæc vera ostenderit, capitali pœna plectetur, & huiusmodi libellus alterius opinionem non lædat. E.

E, *l. vnica, C. de libellis famosis.*

§. Itaque qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa confixerit, & repertus scripta non probauerit flagellatur, & qui ea prius inuenerit rumpat; si non vult auctoris facti causam incurrere. F.

F, *can. 1. 5. q. 1.*

TITVLVS XIII.

De extraordinarijs Criminibus.

DELICTA extraordinaria iam diximus esse illa, quorum nomen certum non est; nec pœna certa in illis præstituta est. A.

A. *l. 13. ff. de pœnis.*

§. Horum criminum species sunt, vel contra bonos mores, veluti si testator non sua sponte testamentum fecerit; sed compulsus ab eo, qui hæres est institutus, aut à quolibet alio, quos noluerit scripsit hæredes, aut impeditus, quo minus testetur: B, Item si quis fimo corrupto aliquem perfunderit, cæno, luto oblinierit, aquas spurcauerit, fistulas, lacus, quidue aliud ad iniuriam publicam contaminauerit

B, *l. 1. & 2. C. si quis aliquem testa. prohib. &c.*

rit, in quos grauitèr animaduerti solet. C.

C, l. 1. §. *fit iniuria ff. de extraordin. crimin.*

§. Qui puero stuprũ abducto ab eo, vel corrupto comite persuaserit, aut mulierem, puellamue interpellauerit, quidue impudicitiç gratia fecerit, domum præbuerit; pretiumq; quo id persuaderet, dederit: perfecto flagitio punitur capite; imperfecto in insulam deportatur, corrupti comites summo supplicio afficiuntur. D.

D. l. 1. §. *qui puero, ff. de extraord. crim.*

§. Sollicitator etiam alienarum nuptiarum, itemq; matrimoniorum interpellatores, & si effectu sceleris potiri non possunt propter voluntatem tamen perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur. E.

E, l. 1. *ff. de extraord. crim.*

§. Vel contra religionem, veluti si sub specie soluendi voti, cœtus illiciti tentati sint. F.

F, l. 2. *ff. eod.*

§. Ideò mandatis Principum præcipitur, ne patiantur esse collegia sodalitia, neuè milites collegia in castris habeant; G, nisi religionis causa, quo casu coire non prohibentur: cùm sola illicita çollegia çoerçeri debent. H.

G. l. 1. *ff. de Collegijs illicitis*,

H, d. l. 1. *ff. eod.*

§. Pœna autem illorum, qui illicitum collegium vsurparint ea est, qua tenentur ij, qui hominibus armatis, loca publica, vel templa occupasse iudicati sunt. I.

I, l. 2. *ff. eod.*

§. Contra Religionem etiam facit, qui sepulcrum violat, vel statuam diruit, & de monumento euellit: quamuis nec applumbata, neque affixa fuerit; cùm sic sit monumenti, vt ossaria; L, sepulcri enim deteriorem conditionem fieri prohibitum est. M.

L, l. 2. *ff. de sepulcro violato.*

M, l. 7. *ff. eod.*

§. Sepulcra autem hostium religiosa non sunt, ideòq; lapides indè sublatos in quemlibet vsum conuertere possumus, nec sepulcri violati actio competit. N.

N, l. 4. *ff. eod.*

§. Pœna autem violati sepulcri infamia est; cæterum vel pecuniaria datur; O, vt si

O, l. 9. *ff. eod.*

quis

quis in sepulcro dolo malo habitauerit, ædificiumue aliud, quàm quod sepulcri causa factum sit, habuerit, in eum si quis agere eo nomine volet ducentorum aureorum iudicium datur; P, vel in factum quatenus dolo malo sepulcrum violatum dicetur, vt ei ad quem pertinet, quanti ob eam rem æquum esse videbitur condemnetur, Q, vel etiam summo supplicio, aut deportatione crimen violati sepulcri punitur.

P, *l. 3. vers. si quis sepulcro ff. eod.*

Q, *d. l. 3.*

§. Nam Rei sepulcrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa exuerint; humiliores quidē fortunæ summo supplicio afficiūtur, honestiores in insulam deportantur; alias relegantur, aut in metallum dantur. R.

R, *l. vlt. ff. de sepulcro violato.*

§. Aduersus verò illos, qui cadauera spoliant Præsides interuenire solent; maximè si manu armata aggrediuntur, vt si armati more latronum, id egerint etiam capite plectuntur; si sine armis ad pœnam metalli damnantur. S.

S, *l. 3. §. aduersus eos, ff. eod.*

§. Vel contra publicam securitatem, seù honestatem; veluti si simulato Præsidis iussu interuenerit; ablatum eiusmodi tenore, restitui Præses iubet, & delictum extra ordinem coercet. T, & licet concussionis iudicium publicum non sit, tamen si quis pecuniam acceperit, ne quem alterum accusaret potest in eum publicum iudicium intentari, sicut pœna legis Corneliæ teneri debent ij, qui in accusationem innocentium coierint: V, Quare Præses illicita ministeria sub prætextu liciti ad concutiendos homines procedentia prohibere, & deprehensos coercere debet, & sub specie tributorū illicitas exactiones fieri prohibeat. X.

T, *l. 1. ff. de concussion.*

V, *l. 2. ff. de concussion.*

X, *l. 6. §. illicita, ff. de off. Præsidis.*

§. Contra eos, qui annonam attentant, atq; vexant, statutum est, ne ab ijs, qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fru-

fructus suos æquis pretijs vendere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant, annona oneretur; pœna autem in hos varia statuitur; nam plerumque si negotiantes sunt, negotiatione tantùm eis interdicitur, interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari. Y.

Y; *l. 6. ff. de extraordin. crim. tot. tit. ff. ad l. Iuliam de Annona.*

§. Onerant annonam etiam ij, qui stateras adulterinas habent, & contra eos, qui illas, vel falsas mensuras tenent, vel pœna legis Corneliæ de falsis statuitur, vel in insulam relegantur. Z.

Z, *d. l. 6. §. onerant ff. eod. & toto tit. ff. ad l. Iul. de Annona.*

§. Huic etiam delicto proximè accedit delictum monopolij, quod est quædam illicita conuentio inter negotiatores, vel artifices inita, ne species alicuius negotij, vel operis minoris quam ipsi inter se statuerunt venundetur, vel perficietur, AA, si quis ergò monopolium ausus fuerit exercere bonis proprijs expoliatus perpetuitate damnetur exilij. BB.

AA, *l. vnica, C. de monopolijs.*

BB, *d. l. vnica, §. si quis.*

TITVLVS XIV.

De Crimine Stellionatus.

STELLIONATVS crimen legitimum non est; A, neque publicis, neque priuatis actionibus continetur: B, ideò neque famosum iudicium est, quamuis infamiam irroget damnato; C, & solam correctionem extraordinariam habet: D, dummodò non debeat opus metalli in plebeis egredi; in ijs autem, qui sunt in aliquo honore positi ad tẽpus relegatio, aut ab ordine motio remittenda est. E.

A, *l. 2. §. pœna, ff. hoc tit.*

B, *l. 1. ff. hoc tit.*

C, *l. 13. §. crimen, ff. de his, qui not. infam.*

D, *l. 2. ff. hoc tit.*

E, *l. 3. §. pœna, vers. solent, ff. hoc tit.*

§. Igitur illic stellionatus obijcitur, vbicumq; titulus criminis deficit: F, nam easdem res pluribus pignorare dissimulando in poste-

F, *l. 2. vers. vbicumq; ff. hoc titulo,*

riore obligatione, quod eadem alijs pignori tenerentur, stellionatus crimen est; veluti quidem factum improbum, atque criminosum: G, quoniam ignorantia creditoris, cui res pridem apud alios obligatæ pignoris, siuè hypothecæ iure obligantur; non sine periculo capi consueuit: Etenim huiusmodi fraudes ad extraordinariam criminis executionem spectare, ac stellionatus commissum seuerissimè videtur vindicandum. H,

G, *l.* 1. *C. hoc tit.*

H, *l.* 4. *C. hoc tit.*

§. Idem dicendum est; si Pater tuus in te donationem contulerit, & cùm emancipatus esses, traditionibus, dominium corporum in te trãstulerit, posteaquam creditorem sortitus es, quasdam earum sine voluntate tua, velut proprias suas obstrinxerit, ius tuum non læsit; sed cùm sciens alienam rem, teque non consentiente veluti propriam, suo nexu erit creditori. I.

I, *l.* 2. *C. hoc tit.*

§. Item dicitur, quòd si quis auro dato, postea æs subiecisset, furti tenetur, quòd si verò in dando æs subiecisset, turpiter quidem fecisset, non furem esse dicendum est, sed pignoratitium iudicium datur, atque etiam extra ordinem stellionatus nomine plecti sæpissimè rescriptum est. L.

L, *l.* 36 *ff. de pignorat. act.*

§. Item si quis rem alienam mihi pignori dedit sciens, prudensq; aut alij obligatam mihi obligauit, nec me de hoc certiorauit; eodem stellionatus crimine plectetur. Planè si ea res ampla est, & ad modicum æris fuerit pignorata, cessat non solùm stellionatus crimen, sed etiam pignoratitia, & de dolo actio, quasi in nullo captus sit, qui pignus secundo loco accepit. M

M, *l.* 3. §. 1. *ff. eod.*

§. Ideò qui res suas iam obligarunt, & alij secundò obligant creditori, vt effugiant periculum stellionatus, quod solent pati, qui

sæpius

sæpius easdem res obligant prædicere solent alij nulli rem obligatã esse, vt in id quod excedit priorem obligationem, sit obligata. N.

N, *l.* 15. §. *qui res suas ff. de pign. & hypot.*

§. Si verò ignorat quantum ad crimen pertinet excusat eum ignorantia; non autem excusat quantum ad contrarium iudicium: quin scilicet creditor pignoratitiam ad interesse habeat, nisi sciens creditor accipiat, vel alienum, vel obligatum, vel morbosum; quia tunc contrarium iudicium non datur. O.

O, *l.* 16. §. *contrariam, vers. sed vtrũ* §. *sed si ff. de pign. actione.*

§. In omnibus etiã diuisionibus, quæ præpositæ sint, vbi creditor, vel non numeratam pecuniam accepit, vel numeratam iterum accepit, repetitio contra eum competit: nisi fortè ex condemnatione fuerit ei pecunia soluta; tunc enim propter authoritatem rei iudicatæ, repetitio quidem cessat: sed ipse stellionatus crimine propter suam caliditatem, idest propter suum dolum plectetur. P.

P, *l.* 29, §. *in omnibus ff. mandati.*

§. Si autem hæres emptori suppresserit conditionem statu liberi ex empto quidem tenetur; sed etiam stellionatus crimen eidem imputatur, qui sciens dissimulata conditione statutæ libertatis, simplicitèr eum vendiderit. Q.

Q, *l.* 9. §. *si statu liber, vers. si tamen ff. de statu lib.*

§. Item si quis merces supposuerit, vel obligatas auerterit, vel corruperit, æquè stellionatus reus erit; R.

R, *l.* 3. §. *sed etsi ff. hoc tit.*

§. Si quis autem imposturam fecerit, vel collusionem in necem alterius, stellionatus potest postulari, S, & quamuis de periurio, si qua pignora esse, quis in instrumento iurauerit; tamen crimen stellionatus fit, & ideò ad tempus exulat. T.

S. *d.l.* 3. §. *item si quis ff. boc titulo.*

T. *l.* 4. *ff. hoc tit.*

§. Verùm si quis stellionatus crimen obiecerit, & destitit pœnam Turpiliani non subibit, sed officio Iudicis culpa eius coercebitur. V, Idcircò sciendum est, quod stellionatus accusatio ad Præsidis cognitionem spectat,

V, *l.* 7. §. *si stellionatus ff. ad Turpil.*

& obijci ijs potest, qui dolo quid fecerint, scilicèt si aliud crimen non sit, quod obijciatur: quod enim in priuatis iudicijs est de dolo actio, hoc in crimine stellionatus est persecutio: X, nam quæ dolo malo facta esse dicuntur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videtur, de dolo iudicium datur. Z.

X, *l. 3. ff. hoc tit.*

Z, *l. 1. vers. qua dolo, ff. de dolo malo.*

TITVLVS XV.

De Publicis Delictis.

PVBLICA delicta illa sunt, de quibus publicum iudicium constituitur: Veruntamen quia non omnia iudicia publica sunt; sed ea tantùm, quæ ex legibus publicorum iudiciorum veniunt: A, Adeò, vt si quis accusetur, quod crimen iudicij publici destituisse dicatur, iudicium publicum non est, quia ex lege aliqua de hac re cautum non est. B, Idcircò si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum sit, vel de ea re, de qua publicum iudicium constitutum sit, veluti de adulterijs, siccarijs, & similibus vetare debet Prætor sententiam dicere, nec dare dictæ sententiæ executionem. C.

A, *l. 1. ff. de publ. iud.*

B, *l. 3. §. si adeò ff. de præuaricat.*

C, *l. 3. §. Iulianus ff. de receptis arbit.*

§. Et publica quoque iudicia dicuntur, eò quia neque per actiones, sed per accusationes ordinantur, neque omninò quicquam simile habent cum cæteris iudicijs, magnaquè diuersitas eorum est, & in instituendis, atque etiam in exercendis. D, Nam qui crimen publicum instituere properant, non alitèr ad hoc admittuntur, nisi prius inscriptionum pagina præcesserit, & fideiussor de exercẽda lite adhibitus fuerit: sin verò post satisdationem præsentès non fuerint, edicto admonendi sunt, vt ve-

D, *§. 1. instit. de pub. iud.*

veniant ad causam agendam; & si non adfuerint, non solùm extra ordinem æstimatione Iudicis puniendi sunt; sed etiam sumptus, & quod in eam rem, & circa ipsum iter ad litem vocati, fecerunt; dependere cogentur. E.

E, *l. 3. C. de ijs, qui accusare non poss.*

§. Quamuis cuilibet ex populo experiri iudicio publico liceat, F, quia illud; quod in religionem v.g. vel in Principem committitur; in omnium fertur iniuriam; G, tamen ad crimen publici iudicij persequendum frustra Procurator interuenit: H, & si interuenerit Iudex contra eum, qui Procuratorem dederit sententiam dicere debet nõ contra Procuratorem. I.

F, *l. palam* [43. §. *Senatus ff. de ritu nupt.*

G, *l. Manichæos, C. de Hæreticis, & Manich. infra tit.* 21. §. *huic itaq;*

H, *l.* 13. §. *ad crimen ff. de pub. iud.*

I, *l. si quando vers. per Procuratorem, C. de iniurijs.*

§. Horum autem publicorum delictorum, seu publicorum iudiciorum multæ species sunt, quædam ad publicas, quædam ad priuatas personas respiciunt, quædam ad publicas, quædam ad priuatas res spectant, quædam ad res, & personas sacras pertinent, de quibus infra dicendum est.

TITVLVS XVI.

De Crimine læsæ Maiestatis humanæ.

INTER publicas, & temporales personas prima, & principalior est ipse Princeps, & Respublica, cæteri sunt viri illustres, veluti Principis Consiliarij, & Senatores. A.

A, *l. quisquis C. ad l. Iul. maiestat.*

§. Principis autem Maiestas dupliciter attentatur, verbo scilicèt, & facto: verbo siquidem cùm quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus improbo, petulantiq; maledicto nomina Principis crediderit lacessenda, ac tumulentus, & turbulentus obtrectator temporum illius fuerit. B.

B, *l. vnica, C. si quis imper. maled.*

§. Hoc tamen à Iudicibus non in occasione ob principalis maiestatis venerationem habendum est; sed in veritate rei: nam & persona spectanda est, an potuerit facere, an antè quid fecerit, & an cogitauerit, & an sanæ mentis fuerit; cùm lubricum linguæ ad pœnam facilè trahendum non sit. C.

C, l. famosi, ff. ad l. Iul. maiestatis.

§. Facto: cùm quis aduersus Principem, vel aduersus eius securitatem aliquid commiserit, D, vel cum militibus, vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit, vel dederit iuramentum: E, quo crimine etiam tenetur is, cuius opera dolo malo consilium initum erit. F,

D, l. 1. ff. eod.

E, l. quisquis C. ad l. Iul. maiest.

F, l. 1. ff. eod.

§. Huius criminis pœnam si de maledictis agatur, Principis est infligere, & quamquam temerarij digni pœna sint; tamen vt insanis illis parcendum est, si non sit tale delictum, quod vel ex scriptura legis descendat, vel ad exemplum legis vindicandum sit, G, vel potius neque durum aliquid, neque asperum debeant sustinere; quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est, si ex insania miseratione dignissimum, si ab iniuria ad ipsum Principem remittendum; vt is ex personis hominum dicta penset, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, censeat. H.

G, l. famosi vers. quamquam ff. eod.

H, l. vnica, C. si quis imper. maled.

§. At verò si de factis agatur, gladio Reus feritur, bonis etiam eius omnibus Fisco abductis. I.

I, l. quisquis in fine C. ad l. Iul. maiest.

§. Ijsdemq; etiam pœnis puniri debent, qui de Virorum Illustrium, qui Consilijs, & Consistorio Principis intersunt, ac etiam Senatorum nece cogitauerint; nam & ipsi pars corporis eiusdem Principis sunt: eadem ideò seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt, cum ipsi quidem vtpotè maiestatis Rei habeantur; L.

L, d. l. quisquis, C. eod.

§. Immò in quocumq; læsæ maiestatis crimine, & maximè vbi contra Romanum Imperatorem, vel Reges aliquid afferatur commissum; potest procedi per accusationem, inquisitionem, seu denunciationem summariè de plano, sine strepitu, & figura iudicij, prout illi, qui iurisdictioni præest, videbitur expedire. M.

M, cap. ad reprimendum extrauag. quomodo in læsæ maiestat.

§. Idē dicendū est de transfugis, qui vel rebelles, vel perduelles dicuntur. Rebelles ij sūt, qui infideles Imperij Romani sunt, & qui publicè, & occultè contra honorem, & fidelitatem Principis debitam, rebellionis opera quomodocumque faciunt, & contra Principis, Imperij q; sui prosperitatem, aliquid machinantur, & contra eum, seu eius Officiales in ijs, quæ ad commissum eis officium pertinent, rebellando committant. N, Hos autem vbicumque inuenti fuerint, quasi hostes interficere licet. O.

N, cap. I. vers. tenore extrauag. qui sint rebelles.

O, l. 3. §. transfugas ff. de siccarijs.

§. Perduelles verò dicuntur ij, qui ab his, sub quorum Imperio sunt, desciscunt, & in hostium numerum se conferunt, P, & quos nos hostes nuncupamus, eos veteres perduelles appellabant. Q.

P, l. amissione, §. qui deficiunt ff. de cap. dim.

Q, l. 234 ff. de verbor. signif.

§. Hi enim rebelles, & perduelliones, vel consiliorum Principum renunciatores, aut viui exuruntur, aut furca suspenduntur: R, immò etiam post eius mortem huiusmodi crimen instaurari solet, atque inchoari; vt conuicto mortuo memoria eius damnetur, & eius bona successoribus eripiuntur: quia ex quo sceleratissimum consilium cœpit, exindè quodammodo sua morte punitus sit. S.

R, l. 38. §. transfugæ, ff. de pœnis.

S, l. 7. l. 8. ff. ad l. Iul. maiestat. inf. tit. 21. §. huic itaq; vers. nam si & supra lib. I. tit. 12. §. sed ex.

§. Perduellionis autem crimen, aut proditione, aut seditione committitur: proditione veluti si quis hostibus nuncium, literasue miserit: T, nam qui secreta hostibus nunciant, V, signum-

T, l. I. vers. quiue, &c. ff. eod.

V, l. 6. §. exploratores, ff. de re militari.

X, l. 1. vers. signumue, ff. ad l. Iul. maiest.

signumue dederit, feceritue dolo malo, quo hostes consilio iuuentur aduersus Rempublicam, proditores sunt. X.

Z, d. l. 1. ff. eod.

AA, l. 1. C. de seditiosis.

§. Seditionis verò veluti si quis aduersus Rempublicam coetus, conuentusue fecerit, hominesue ad tumultum conuocauerit, Z. plebemue suscipere, & aduersus publicam disciplinam fortasse tentauerit. AA.

BB, l. si quis 38. §. authores ff. de pœnis.

§. Authores autem seditionis, & tumultus populo concitato, pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur, aut in insulam deportantur. BB.

TITVLVS XVII.

De Criminibus in publicas res commissis.

CRIMINA hæc particularia eorum sunt, qui in publico officio constituti sunt: videlicet ambitus, repetundarum, peculatus, & de residuis, ac de falsa moneta.

A, l. vnica ff. ad l. Iuliam peculatus.

§. Ambitus est crimen adfectati honoris, quod tamen hodie in vrbe cessat: quia ad curam Principis Magistratus creatio pertinet, non ad populi fauorem: quod si in municipijs Magistratum, aut Sacerdotium quis petierit, in centum aureos cum infamia punitur: qua lege damnatus, si alium conuicerit in integrum restituitur, non tamen pecuniam recipit. A.

B, d. l. vnica, §. item is, l. 12. ff. ad l. Iul. de vi pub.

§. Item is, qui nouum vectigal instituerit, hac etiam pœna plectetur, & lege Iulia de vi publica tenetur. B.

§. Crimen verò repetundarum ad eas spectat pecunias, quas quis in magistratus potestate, vel quo alio officio, munere, ministerioue

rioue publico, acceperit, C, & hoc crimine tenetur is, qui cum aliquam potestatem habet, pecuniam ob iudicandum, vel non iudicandum acceperit. D.

§. Paritèr hoc eodé crimine tenetur, qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperit. E.

§. Damnatus hoc crimine testimonium publicè dicere, aut Iudicem esse, postulare eus prohibetur: F, atque extraordinem, & plerumque exilio, vel etiam durius prout admiserit, punitur. G.

§. Nam si qui ob hominem necandum pecuniam acceperint, vel licet non acceperint, calore tamen, hoc est iracundia inducti, interfecerunt, vel innocentem, vel quem punire non debuerant, capite plecti, vel certè in insulam deportari debent. H.

§. Crimen autem peculatus furtum pecunię publicæ, aut sacræ est: I, & fit cùm quis pecuniam sacram, religiosam, vel publicam aufert, vel intercipit, vel in rem suam vertit, vel cùm quis in aurum, argentum, æs publicum quid indat, vel immisceat, vel quod quid indatur immisceatur, faciat sçiens dolo malo, quo id peius fiat, L.

§. Sciendum tamen est, quòd non solùm pecunia publica, sed etiam priuati crimen peculatus facit, veluti si quis, quod Fisco debetur simulans se Fisci creditorem acceperit, quamuis priuatam pecuniam abstulerit. M.

§. Peculatus verò pœna aquæ, & ignis interdictio est: in quam postea successit deportatio. N.

§. De crimine residuorum tenetur, qui publicam pecuniam delegatam in vsum aliquem retinuit, neque in eum vsum consumpsit: O, vel apud eum ex locatione, emptione, ali-

men-

C, *l.1.ff.ad l.Iul. repet.*

D, *l.3.ff.ad l.Iul. repetun.*

E, *l.6.ff.eod.l.2.ff. de concuss. in fine.*

F, *d.l.6.§.hac lege, ff.eod.*

G, *l.7.§.hodie, ff. eod.*

H, *d.l.7.§.hodie, vers. quid enim ff. eod.*

I, *l.9.§.labeo, ff. ad l.Iul peculatus.*

L, *l.1 ff. eod.*

M, *d.l.9.§.labeo, vers.eod.capite ff.ad l.Iul.peculatus.*

N, *l.3.ff.eod.*

O, *l.2.ff.eod.*

mentaria ratione, ex pecunia, quam accepe- rit, aliaue qua ex causa pecunia publica re- sedit, & damnatus hoc crimine amplius tertia parte, quam debet punitur. P.

P, l. 4. §. lege Iulia de residuis, ff. eodem.

§. Hæc autem publica iudicia peculatus de residuis, & repetundarum similitèr aduersus hæredes exercentur, nec immeritò cùm in his quæstio principalis ablatæ pecuniæ moueatur. Q.

Q, l. vlt. ff. ad l. Iul. peculatus.

§. Tandem de Annona fraudata iudicium publicum dari dicendum est: etenim hoc iudicio tenetur, qui contra Annonam fecerit, societatem coierit, quo Annona carior fiat: R, minimè igitur æquum est, Decuriones Ciuibus suis frumentum vtilius, quàm Annona exigit vendere. S.

R, l. 1. ff. ad l. Iuliam de Annona.

S, l. 3 ff eod.

TITVLVS XVIII.

De Falsa Moneta.

PECVNIA, publica res est: ideò iudiciũ falsæ monetæ publicum est: si quis igitur nummos falsa effusione formauerit, maiestatis crimen committit. A, idcircò eos, qui adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercent, cunctis necessitas incumbit inquirendi, vt inuestigati tradantur Iudici, & facti conscios per tormenta illicò producturi, ac sic dignis supplicijs addicendi: accusatoribus etiam eorum immunitas permittitur: B, immò & præmio accusatori proposito facillimè adulter poterit reperiri, & a quocumque fuerit publicatus, illicò omni dilatione submota flammarum exustionibus mancipetur, & vniuersæ eius facultates Fisco addicientur. C.

A, l. 2. C. de falsa moneta.

B, l. 1. C. eod.

C, l. 2. C. eod.

§. Domus verò, vel fundus in quo hæc perpetrata sunt, si dominus in proximo constitutus

tutus sit, cuius incuria, vel negligentia punienda est, & si ignoret Fisco vendicetur, nisi Dominus antè ignorans, vt primum repererit scelus prodiderit perpetratum: tunc enim possessio, vel domus ipsius proscriptionis iniuriæ minimè subiacebit. D.

D, l. 1. §. domus, C. de falsa moneta.

§. Si verò quis nũmos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit; siquidem liber sit ad bestias dari, si seruus supremo supplicio affici debet. E.

E, l. 8. ff. de falsis.

§. Lege paritèr Cornelia cauetur eum, qui in aurum vitij, quid addiderit, quiue argenteos nummos adulterinos conflauerit, falsi crimine teneri. F.

F, l. 9. ff. de falsis.

§. Eadem lege exprimitur, ne quis nummos, staneos, plumbeos emere, vendere dolo malo velit; G, eademq; pœna afficitur is, qui cum prohibere tale quid posset non prohibuit. H.

G, d. l. 9. §. eadem ff. eodem.
H, d. l. 9 in fine.

§. Is autem, qui falsam monetam percusserit, si in totum formare noluerit, suffragio iustæ pœnitentiæ absoluitur. I.

I, l. 19. ff. de falsis.

§. Serui verò, qui monetarios adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes in publicum detulerint, Ciuitate Romana donentur, & eorum Domini pretium à Fisco percipiant. L.

L, l. 2. C. quibus ex causis serui pro præmio libertatem accipiunt.

TITVLVS XIX.

De Vi, & Violentia.

VIS est maioris rei impetus, qui repelli non potest, aduersus quam parum proficit custodia. A.

A, l. 2. ff. de eo, quod metus causa, l. 32. ff. de action. empt.

§. Vim hic accipimus, quæ aduersus bonos mores fiat, non eam, quam magistratus rectè intulit scilicèt iure licito, & iure honoris sustinet

stinet

stinet; B, & ideò vis fieri dicitur quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Iudicem reposcit, sed sibi ius in id dicit. C.

§. Et differt à metu, quia vis necessitatem contrariæ voluntati impositam importat, D, metus verò propter instantis, vel futuri periculi causam, mentis trepidationẽ significat; E, quia nõ quilibet metus ad rescindenda ea, quæ consensu terminata sunt, sufficit; sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat. F.

§. Vis autem, & publica, & priuata dicitur; publica, quæ armis; priuata, quæ sine armis fit: ideò lege Iulia, de vi publica tenetur is, qui arma, tela domi suæ, vel in agro, in villa præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coegerit. G.

§. Excipiuntur arma, quæ quis commercij causa habuerit, hæreditateue ei obuenerit. H,

§. Sed lege Iulia de vi priuata tenetur is, qui aliquem ex agro suo hominibus congregatis, sine armis deiecerit. I.

§. Qui verò armati venerunt, & si non armis vsi sunt ad deijciendum, sed deiecerunt, armata vis facta esse videtur; sufficit enim terror armorũ, vt videantur armis deiecisse. L.

§. Armatos verò non eos tantùm accipere debemus, qui tela habuerint; sed etiam eos, qui habent aliud, quod nocere potest; M, telorum autem appellatione omnia accipiuntur, ex quibus singuli homines nocere possunt, N, veluti fustes, lapides, gladij, hastæ, & frameæ, id est ronpheæ. O.

§. Igitur qui turbæ, seditionisue faciendæ, consilium inierint, seruosue, aut liberos homines in armis habuerint, de vi publica teneantur. P.

§. Huius delicti pœna acquæ, & ignis interdictio

B, *l. 3. §. sed vim, ff de eo, quod metus causa.*

C, *l. 7. vers. vis enim ff. ad legem Iuliam de vi priuata, l. extat ff. de eo, quod met. causa supra lib. 2. tit. 5. §. si quis autem.*

D, *l. 1. ff. de eo, quod metus causa.*

E, *d. l. 1. §. metus ff. eod.*

F, *l. interpositas, C. de transact.*

G, *l. 1. ff. ad legem Iuliam de vi publ.*

H, *l. 2. ff. ad l. Iul. de vi publica.*

I, *l. 5. ff. ad l. Iul. de vi priuata.*

L, *l. 3. §. qui armati, ff. de vi, & vi armata.*

M, *l. 9. ff. ad l. Iuliam de vi publ.*

N, *l. 11. vers. telorum ff. eod.*

O, *l. 3. §. armis ff. de vi, & vi armata.*

P, *l. 3. ff. ad l. Iul. de vi pub.*

dictio est: Q, quæ vel vltimum supplicium, vel deportatio, vel relegatio intelligitur. R.

Q, *l.* 10. §. *damnato*, *ff. eod.*

§. Verùm quia multa facinora, sub vno violentiæ nomine continetur; cum alijs vim inferre certantibus, alijs cum indignatione resistentibus, verbera, cædesq; crebro deteguntur, admissæ; placuit si fortè quis, vel ex possidentis parte, vel ex eius, qui possessionem temerare tentauerit, interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui cum facere tentauerit, & alterutri parti, causam malorum præbuerit, & non iam relegatione, aut deportatione plectatur, sed supplicium capitale excipiat; nec interposita prouocatione sententiam, quæ in eum fuerit dicta, suspendat. S.

R, *l. quoniam, C. de vi publ.* §. *item lex Iulia Instit. de pub. iud. l. cui dolo* §. *penult. ff. de vi publ.*

S, *l. quoniam multa C. de vi pub.*

§. Item si quis omissa interpellatione, vim possidenti intulerit, ante omnia violentiæ causâ examinari oportet; T, & in ea requiri quis, ad quem peruenerit possidentem, vt ei, quem constiterit expulsum, ammissæ possessionis iura reparentur, eademq; protinus restituta, si criminalis quæstio agitetur, violentus pœnæ non immeritò destinatus, in totius litis terminum differatur; vt agitato negotio principali (si contra eum fuerit iudicatum) in insulam deportetur, bonis omnibus obsignatis. V.

T, *l.* 5. §. *si de vi*, *ff. de vi pub. l.* 7. §. *quod si ff. eod.*

V, *d. l.* 7. §. *quod si C. de vi pub.*

§. Seruos verò, qui fecisse violentiam confessionibus testium, aut proprijs docebuntur, si id inuito Domino commiserint, postremo supplicio luere perpetrata, censendum est. X.

X, *l.* 8. *C. de vi pub.*

§. Quod si illi metu, atque exhortatione dominorum violentiam admiserint, dominum infamem pronunciandum esse loci, ac originis propriæ dignitate non vti; seruos verò quos furoribus talibus paruisse constiterit, in metallum post sententiam dari oportet. Z.

Z. *d. l.* 8. §. *quod si*, *vide supra tit.* 5. §. *seruus etiam*,

§. Viles autem Domini, infamesque personæ, & ij, quibus aut sæpius violentiam per-

AA, d. §. quod si. petrasse conuincentur, vel capitis, vel deportationis pœna tenentur. AA.

§. De vi verò priuata damnati, pars tertia bonorum ex lege Iulia publicatur, & cautum est ne Senator sit, aut Decurio, aut vllum honorem capiat, neue in eum ordinem sedeat, neue Iudex sit, & videlicèt omni honore, quasi infamis, carebit. BB.

BB, l. 1. ff. de vi priuata.

TITVLVS XX.

De eximentibus eum, qui in ius vocatus est.

EXIMITIO quamdam violentiam continet; ideò de ea dicendum quoque est: verbum enim eximere generale est, differt tamen à verbo eripere, quod est de manibus auferre per raptum; eximere verò est quoquo modo auferre, vt puta si quis non rapuerit, sed moram fecerit, quominùs in ius veniret, aut actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur, videtur exemisse; quamuis corpus non exemerit. A.

A, l. sed eximendi ff. ne quis eum, qui in ius. &c.

§. Docere autem debet quis per hanc eximitionem factam, quominùs in ius produceretur: cæterum si nihilominus productus est, cessat pœna; quoniam verba cum effectu sunt accipienda. B.

B, l. si per alium §. docere ff. eod. infra tit. 29. §. de secundo.

§. Sed alitèr dicendum est de eo, qui eum, qui in ius vocatus est, vi eximat, quoniam ille, qui venienti ad iudicium aliquid tristè pronunciauerit, propter quod necesse habuerit ad iudicium non venire, tenetur in factum quanti actoris interfuit eum sisti. C.

C, l. 1. §. dolum, l. ex hoc edicto ff. de eo per quem.

§. Sed ille, qui in ius vocatum vi eximit, pœna etiam tenetur ad vindictam: vndè si plu-

plures deliquerint in singulos dabitur, & nihilominùs manet qui exemptus est obligatus. D; Ideò is, qui debitorem vi eximit, si soluerit, Reum non liberat, quia pœnam suam soluit. E.

D, *l. si per alium, §. hoc iudicium, ff. ne quis eum.*

E, *l. is, qui 6. ff. eod.*

TITVLVS XXI.

De Diuinæ læsæ Maiestatis Crimine.

CRIMEN hoc, vel in hæresi, vel in schismate, vel in Apostasia consistit: Hæresis siquidem peruersum dogma habet: Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separat: A, Apostasia verò in vniuersum Religionis Christianæ decreta repudiat; veluti si quis ex Christiano Iudæus effectus sacrilegis cœtibus aggregetur. B.

A, *can. illud 24. q. 3.*

B, *l. 1. C. de Apost.*

§. Hæreticorum autem vocabulo continentur, & qui latis aduersus eos sanctionibus, succumbere debent, vel leui argumento à iudicio catholicæ Religionis; & tramite detecti fuerint deuiare. C.

C, *l. 2. C. de Hæret. & Manich.*

§. Huic itaque hominum generi, nihil ex moribus, nihil ex legibus commune sit cum cæteris: D, ideòq; publicum crimen est; E, nam si in criminibus maiestatis humanæ, licet memoriam accusare defuncti; ita etiam non immeritò, & hi debent tale subire iudiciũ: F, ideò in mortem quoque inquisitio extenditur.

D, *l. Manichæos C. eod.*

E, *d. l. Manichæos §. ac primum & supra tit. 15. §. quamuis.*

§. Idem dicendum de ijs, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta, sortito alio rursus baptismate, non purificant; sed incessant lauacri nomine polluentes: G, idcirco si quis rebaptizare quempiam de Ministris Catholicæ Sectæ fuerit de-

F, *d. l. Manichæos, §. præterea vers. nã si supra tit. 16. §. hic enim vers. immò.*

G, *l. 1. C. ne sanctum Baptismum.*

tectus, vna cum eo, qui piaculare crimen cõmisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, vltimo supplicio percellatur. H.

H, l.1. C. eod.

§. Schismatici verò, quamuis non aliquam sibi confingant hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videantur, I, cùm schisma scisuram sonet, L, tamen ad illam dispositi sunt; quoniam si pertinacitèr suæ sectæ adhæserint, hæretici dicuntur. M, hi enim non solùm exilij, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates coerceri debent. N.

I, can. illud 24. q.3.
L, can. schisma 23. q.1.
M, glos. & schisma in can. illud 24. q.3.
N, can. de Liguribus 23. q.5. in fine.

§. Apostasia autem pertinet ad infidelitatem, O, & Apostatis Principibus non est obediendum; quia Apostatæ prauo corde machinantur malum, iurgia seminant, intendentes separare homines à fide: P, Ideò Apostatæ sunt hi, qui sanctam fidem prodiderunt, & sanctum baptisma hæretica superstitione profanarunt: à consortio ergò omnium segregati sint, nec testimonij alieni, nec testamenti habent factionem, nulli in hæreditate succedant, à nemine scribantur hæredes; sed nec vnquam in statum pristinum reuertantur, nec flagitium horum obliterabitur pœnitentia, neque vmbra aliquæ exquisitæ defensionis, aut muniminis obducetur; quoniam quidem eos, qui fidem, quam Deo dedicauerant polluerunt, & prodentes diuinum mysterium in profana migrauerunt, tueri ea, quæ sunt commentitia, & concinnata non possunt. Q.

O, D. Thom. 2.2. q.12. art. primo in corpore.
P, D. Thom. 2.2. q. 12. art.4. ad 4.
Q, l.3. C. de Apostatis.

§. Huic crimini proxima est blasphemia, quæ est conuicium impiumq; verbum in Deũ probatum creaturæq; quod conuenit Deo ad scribendæ, vel ab eo remouendo, quod illi conuenit, vel attribuendo, quod illi non cõuenit, lacessendo eius prouidentiam, iustitiamq; obtrectando, eiusq; bonitati maledicendo. R.

R, D. Thom. 2.2. q.13. art.1.

Ideò

§. Ideò Iudices prouidere debent, vt à blaſphemia, & periurijs omnes penitus conquieſcant; S, ac proindè Principum conſtitutionibus ludos prohiberi mandatur: T, quoniam quidam nec ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantum proprias ſubſtãtias perdiderunt, die, noctuq; ludendo, argento, apparatu, lapidibus, & auro conſequentèr, ex hac ordinatione blaſphemare, hoc eſt Deo maledicere conantur, & inſtrumenta conficiunt. V.

S, *l.* 15. §. *ſimilitèr C. de Relig. & ſump. fun.*

T, *d. l.* 15.

V, *d. l.* 15. *C. de Relig. & ſump. fun.*

§. Propterea ſi aliqui inueniãtur in tali permanente blaſphemiæ delicto, primùm quidem indignos ſemetipſos faciũt Dei miſericordiæ; poſt hæc autem & legibus conſtitutis ſubijciũtur tormentis, atq; etiã vltimis ſubdantur ſupplicijs, vt nõ ex contemptu taliũ inueniatur, & ciuitas, & Reſp. per hos impios actus lædi. X.

X, *Authen. vt non luxurientur* §. *proptèrea verſ. inueniantur aliqui.*

TITVLVS XXII.

De Crimine Sacrilegij.

QVI Diuinæ legis ſanctitatem, aut neſciendo omittunt, aut negligendo violant, & offendunt, ſacrilegium committunt. A.

A, *l.* I. *C. hoc tit.*

§. Sacrilegium ille etiam committit, qui publica Sacra compilauerit, hoc eſt facto impetu in publica Sacra graſſatus fuerit; aut qui priuata Sacra, vel ædiculas incuſtoditas tentauerit, & hic amplius quàm fur, minus ergò, quàm ſacrilegus meretur: quare quod ſacrum, quodue admiſſum in ſacrilegij crimen cadat diligentèr conſiderandum eſt: B, & quamuis ſacrilegi capite puniantur; C, tamen pœna hæc moderanda eſt, & pro qualitate perſonæ, proq; Rei conditione, & temporis, & ætatis,

B, *l.* 9. *ff ad l. Iul. pecul.*

C, *d. l.* 9.

& sexus, vel seueriùs, vel clementiùs illa statui debet, & licet constet multos etiam ad bestias damnatos; nonnullos etiam viuos exustos, alios verò in furca suspensos fuisse; tamen moderanda pœna est vsque ad bestiarum damnationem eorum, qui manufacta templa effregerunt, & dona Dei noctu tulerunt. D.

D, *l.6.ff.eod.l.10. C.de Episcopis, & Clericis.*

§. Cæterum si quis interdiu modicum aliquid ex Templo tulerit; pœna metalli coercendus est; aut si honestiore loco natus sit, deportandus in insulam est. E, Locus etiam facit, vt idem furtum, vel sacrilegium sit, & capite luendum, vel minore supplicio. F.

E, *d.l.6.§.cæterum ff.ad legem Iuliam peculatus.*

F, *l.16. §.locus, ff. de pœnis.*

§. Et qui confugientem ad Sanctam Ecclesiam sua auctoritate abstraxerit, verberatur, & tonsus deportatur. G.

G, *l.2. C.de crim. sacr. can. diffiniuit 17. q.4.*

§. Qui verò prædia diuinis vsibus tradita, humanis applicant vsibus, & Domino, cui tradita sunt ea subtrahant, vt sibi inseruiant, vti sacrilegos haberi oportet. H.

H, *can.prædia 12. q.2.*

§. Idem dicendum est de eo, qui in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, pulsando, vinciendo, afficiendo, sacrilegij reatum incurrit. I.

I, *can.si quis suadente 17. q.4.*

§. Sunt tamen quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi Iudices, quàm per Antistites, & Rectores Ecclesiarum vindicantur; sicut cum quis interfecerit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum, siuè Diaconum, huiusmodi Reos Reges, & Principes mundi damnant. L.

L, *can. sunt, 23. q.5.*

TI-

TITVLVS XXIII.
De Homicidio.

CVM inter nos cognationem quamdam natura constituerit; consequens est, quod hominem homini insidiari nefas sit: A, eoq; magis abominandum, si quis alterum occidat, & occidisse dicitur, qui mortis causam, vel qui adhibita vi, & quasi manu, vel quolibet alio modo causam mortis præbuit: tracta interpretatione vocis à cædendo, & à cæde. B,

§. Homicidium itaque est hominis exanimatio,& hominis appellatione,tàm fœminam, quàm masculum contineri non est dubium. C.

§. Sed de fœtu nondum nato ambigitur,& dicendum, quod qui in vtero est, perindè est, ac si in rebus humanis esset: D, ac proindè si mulier visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret,constiterit,in exilium eam Præses exiget. E.

§. Ita si mulier pugno à te percussa eiecerit, Aquilia teneri, quasi de rupto, idest de corrupto: F, nam qui conceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida est. G.

§. Is autem, qui hominem occiderit, si non occidendi animo hoc admiserit, absolui potest; sed qui hominem non occiderit, sed vulnerauerit,vt occidat pro homicida damnãdus est; H, quia in maleficijs voluntas spectatur, non exitus; I, & ex re hoc constituendũ. Nam si gladio strinxerit, & in eo percusserit, indubitatè occidendi animo, id eum admisisse; sed si claua percusserit, aut cucuma in rixa,quamuis ferro percusserit,tamen non occidendi animo, leniendam eius pœnam; quia

A, *l.* 3. *ff. de iust. & iure.*

B, *l.* 52. *ff. ad l. Aquil.*

C, *l.* 152. *ff. de verbor. sign.*

D, *l.* 7. *ff. de statu hominum.*

E, *l.* 8. *ff. de siccar. l. Diuus, ff. de extraord. crim. infra lib.* 4. *tit.* 8. §. *mulier*

F, *l.* 27. §. *si mulier ff. ad l. Aquil.*

G, *can. consuluisti vers. hi aute* 2. *q.* 5.

H, *l.* 1. §. *Diuus, ff. de siccar.*

I, *l.* 14. *ff. eod.*

L, l. 1. §. *Diuus*, *ff. eod.* — in rixa casu magis, quàm ex voluntate homicidium admiserit. L,

§. Ideò si quis cum telo ambulauerit necandi causa, sicut is, qui hominem occiderit, vel cuius dolo malo factum erit, commissum legis Corneliæ pœna coercetur. M,

M, *l. 7. C. de siccarijs.*

§. Verum si in rixa percussus homo perierit, ictus vniuscuiusq; in hoc collectorum contemplari oportet; N, quia lege Cornelia tenetur, qui hominem occiderit, O, & præcipuè si cædem admiserit sponte, dolouc malo: P, dolus autem in lege Cornelia pro facto accipitur, non lata culpa. Q.

N, *l. 17. ff. de siccarijs.*
O, *l. 1. ff. eod.*
P, *l. 16. ff. eod.*
Q, *l. 7. ff. eod.*

§. Quare si quis ab alto se præcipitauerit, & super alium venerit, eumq; occiderit, aut Putator ex arbore cum ramum deiecerit, non proclamauerit, & prætereuntem interfecerit, ad legem Corneliam non pertinet. R.

R, *l. 7. vers. quare, ff. de siccarijs.*

§. Cæterum ea, quæ ex improuiso casu potiùs, quàm fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputatur. S.

S, *l. 1. §. cæterum C. eod.*

§. Idem dicendum de eo, qui se non voluntate, sed casu fortuito homicidium fecisse asseruit; si hoc ita sit, neque super hoc ambigi poterit, omni metu, ac suspicione, quam ex admissæ rei discrimine sustinet, liberari debet; ex ijs enim, quæ fortuito casu aliquo accidere possunt, iura non constituuntur. T.

T, *l. 5. C. eod. l. 3. ff. de legibus.*

§. Non autem qui per lasciuiam mortis causam præbuisset; quoniam iste in quinquennium relegari oportet. V.

V, *l. 4. §. cùm quidam ff. eod.*

§. Rescriptum paritèr reperitur eum, qui stuprum sibi, vel suis per vim inferentem occidit, dimittendum: sed in eum, qui vxorem deprehensam in adulterio occidit leuitèr pœna irroganda est, & humiliori loco positus, in exilium perpetuum datur; sed qui aliqua dignitate positus, ad tempus relegatur. X.

X, *l. 1. §. item Diuus ff. de siccarijs.*

Si

§. Si verò qui aggressorem, vel quemcumq; alium in dubio vitæ discrimine constitutum, occiderit, nullam ob id factum calumniam merere debet. Z. Z, l.2 C. de siccarijs.

TITVLVS XXIV.

De Homicido qualificato.

DELICTVM homicidij sæpiùs cum aliqua qualitate patratur; quæ duplex est, vna aggrauans, altera minuens; aut alio modo delictum excusans; quæ aggrauat, vt plurimum in præmeditatione, consistit: quæ verò minuit, vel excusat, est quando animus non adest delinquendi: si quidem illa, quæ aggrauat consideratur, præcipuè quando machinatione, seu caliditate quadam decipiendi, aliud agitur, aliud simulatur; A, veluti si quis per industriam, vel insidias aliquem occidat, B, quamuis etiam sine simulatione quandoq; id agi possit, nempè per dissimulationem ad tuenda sua, vel aliena. C.

A, *l.1. §. dolum malum, ff. de dolo malo.*

B, *can.1. extra de homic.*

C, *l. 1. §. dolum malum, ff. de dolo malo.*

§. Hinc proditorium homicidium, quod in simulatione amicitiæ consistit, insidiosum, ac præmeditatum dicitur: ideò si fortè mulier marito mortis parasse insidias, vel quouis alio genere, voluntatem occidendi habuisse inueniatur, vel si fortè maritus eodem modo insectetur vxorem, in eadem quæstione ab omni familia, non solùm mariti, sed etiam vxoris suæ (quæ tamen tunc temporis domi fuerit) quærendum est; sine cuiusquam defensione. D.

D, *l.9.C. de siccarijs.*

§. Et serui igne cremantur, qui saluti dominorum suorum insidiati erunt: E, & omnes seruos, qui ex quocumq: loco, siuè in domo, siuè in via, siuè in agro, & vbicumque senserint dominum periclitantem, ad prohibendas

E, *l.28. §. igni ff. de pœnis.*

insidias non occurrerint, supplicio capitis afficiuntur. F.

F, l 12. C. de ijs qui vt indign.

§. Homicidia alia sunt, quæ assassinia dicuntur, veluti quando pecunia mediante, & mandato patrâtur; vt si in hoc te pecunia conduxerim, vt hominem occidas: G, pecuniam dicimus, etiamsi aliquid pro pecunia datum, & acceptum sit. H.

G, l. non solùm §. proculus §. si mãdato, ff. de iniurijs.

H, l. 1. §. pecuniam ff. de calumniatoribus.

§. Homicidium autem de mandato, tunc dicitur committi; puta si mea tantum gratia tibi committo, vt aliquem occidas: I, idcircò non minus mandans quam mandatarius tenetur: parum enim referre visum est suis manibus quis occidat an verò per alium: L, nam & qui suis manibus facit; & qui alij mandat tenetur, M, siuè præsens, siuè absens fuerit, qui mandat. N.

I, arg. l. 2. ff. mandati.

L, arg. textus in l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata.

M, l. si quis id, §. in seruos, vers. hoc verò, ff. de iurisd. omn. iud.

N, l. si per alium, ff. ne quis eum, &c.

§. Sunt etiam alia homicidia, qualitate atrociora, scilicet homicidium sui ipsius, Parricidium, ac Veneficium; in eo enim, qui sibi manus intulit, sic distinguitur interesse, qua ex causa, quis sibi mortem consciuit, sicuti cùm quæritur an is, qui sibi manus intulit, & non perpetrauit, debeat puniri, quasi de se sententiam tulisset; nam omninò puniendus est. O.

O, l 3. §. si quis, ff. de bonis eorum, qui ante, &c. l. 6. §. eius, qui, ff. de in iusto rupto infra lib. 4. tit. 8. §. idem si.

§. De parricidio autẽ lege Põpeia cauetur, vt si quis Patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, amitam, materteram, consubrinum, consubrinam, virum, vxorem, generum, nurum, socerum, vitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam, occiderit, cuiusue dolo malo id factum erit, vt pœna ea teneatur, quæ est legis Corneliæ de siccarijs; mater quoq; filium, filiamq; occiderit, pœna eiusdem legis afficitur, & auus qui nepotem occiderit, & præterea, qui venenum emerit, vt patri daret, quam-

quamuis non potuerit dare, pœna parricidij tenetur: P, quæ est, vt virgis sanguineis verberatus, deinde culeo insuatur, cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culeus iactetur; hoc ita si mare proximum sit, alioquin bestijs obijcitur. Q.

P, *l.* 1. *ff. ad l. Pompeiam de Parricid.*

Q. *l.* 9. *ff. ad l. Pompeiam de Parricid.* *l. vnica, C. de ijs, qui parentes.*

§. Parricidij postulatus si interim decesserit, siquidem sibi mortem cōsciuerit, successorem sibi fiscum habere debebit; sin minus eum, quem voluit si modo testamentum fecerit; si verò intestatus decesserit, eos hæredes habebit, qui lege vocantur. R.

R, *l.* 8. *ff. eod.*

§. De veneficio plecti potest; non solùm, qui malum venenum necandi causa dederit; sed etiam ille, qui fecerit, vel vendiderit, vel hominis necandi causa habuerit; S, quia plus est hominem veneno necare, quàm gladio occidere. T.

S, *l.* 3. *ff. de ficcar.* *l.* 1. *C. de malef. & matt.*

T, *l.* 1. *C. de malef. & matt.*

§. Ideò iussa fuit relegari ea, quæ non quidem malo animo, sed malo exemplo, medicamentum ad conceptionem dedit: ex quo ea, quæ acceperat, decessit. V.

V, *l.* 3. *§. adiectio, vers. sed ea, ff. de ficcar.*

§. Eorum etiam scientia punienda, & seuerissimis meritò legibus, vindicanda est, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur: X, multi enim magicis artibus vsi, vitam insontium, labefactare, non dubitant; & Manibus accipitis, idest Dijs infernalibus inuocatis audent elementa turbare, vt quisquis suos conficiat, malis artibus, inimicos, hos (quoniam naturæ peregrini sunt) feralis pestis, id est ea mors, qua bestiæ necantur, absumat. Y.

X, *l.* 4. *C. de maleficis.*

Y, *l.* 6. *C. eod.*

§. Qualitas autem, quæ homicidium minuit, vel excusat duplici motiuo considerari potest, vel cum quis suo nomine, vel Reipu-

Z, *l. si quis 3. l. 4. C. de sicarijs.*

AA, *l. vt vim 3. ff. de iustitia, & iure.*

BB, *l. 1. C. de siccarijs.*

CC, *l. 1. C. quando liceat vnicuiq; sine iudice vindicare.*

DD, *l. 2. C. eod.*

blicæ vlcisci voluerit suo nomine cum quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non vt homicida tenetur, sed vti defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur: Z; quoniam iure hoc euenit, quod quisque ob tutelam sui, suarumq; rerum fecerit, iure fecisse existimetur. AA, sed rectius faciet si se Præsidi obtulerit, & probauerit, non occidendi animo illum percussisse; BB, libera quoque resistendi cunctis tribuitur facultas, vt quicumque militum, vel priuatorum ad agros, nocturnus populator intrauerit, vt itinera frequentauerit insidijs aggressionis obsederit, permissa cuicumque licentia, digno illico supplicio subiugetur; ac mortem, quam minabatur, excipiat, & in id, quod intendebat, incurrat; melius enim est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare. CC.

§. Reipublicæ verò nomine vindictam sumit, qui desertores opprimit, qui si resistere ausi fuerunt, in his velox sit supplicium; cuncti enim aduersus latrones publicos, desertoresque militiæ ius sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ vltionis indultũ. DD.

TITVLVS XXV.

De Plagiarijs.

A, *l. 13. C. ad l. Iuliam de plagiar.*

B, *l. 1. vers. quod si, C. eod.*

C, *l. 1. C. eod.*

D, *l. abducti, C. de plagiar.*

E, *l. 4. vers. idem, C. eod. l. comparentem, C. eod. l. 3. vers. sciens, ff. eod.*

PLAGII criminis accusatio, publici iudicij est: A, quod etiam per violentiam committi potest: B, & crimen capitale est. C.

§. Plagiũ igitur est hominis dolosa abductio: D, ad effectum illum celandi, vel alienandi, victumq; habendi, aut pro eo, aliam rem permutandi. E.

§. Ideò qui hominem ingenuum, vel liber-

bettinum inuitum celauerit, vel vinctum habuerit, sciens dolo malo, quiue in ea, quá re socius erit; quique seruo alieno, seruæue persuaserit, vt à Domino, Dominaue fugiat, vel eum, eamue inuito, vel sciente Domino, Dominaue celauerit, vinctumq; habuerit, emerit sciens dolo malo, quiue in ea re socius erit, eius pœna teneatur. F. F, l. 6. §. lege Flauia, ff. hoc tit.

§. Præses autem discreto prius iure dominij intelligat, an audiendum sit plagij crimen necne; nam si proprietatis tuæ mancipium esse constiterit expirasse criminis intentionem emersa dominij luce manifestabit, si verò seruum alienum esse constiterit post disceptatam proprietatis quæstionem, & criminis causam audiet. G. G, l. Præses C. eod.

§. Pariter si liberum, sciens conditionē eius inuitū venundando, plagij criminis tenetur. H. H, l. liberum, C. eod. l. sciens, C. vbi de crimine plagij agi oportet.

§. Itaque plagiarij, qui viuentium filiorum miserandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna tenentur. I. I l. Plagiarij, C. hoc tit.

§. Si quis verò huiusmodi Reus fuerit oblatus; posteaquam super crimine claruerit seruus quidem, vel libertate donatus, bestijs subijciatur, ingenuus gladio consumatur. L. L, l. plagiarij §. si quis C. de plagiarijs

§. Immò si quis in huiusmodi plagij facinore deprehendatur, capite eum plecti non dubitatur, vt pœnæ genere deterreri, cæteri possint, quominus istiusmodi audacia, vel seruos, vel liberos ab vrbe distrahere, atque alienare audeant. M. M, l. quoniam, §. ac si C. eod.

§. Illud autem non est omittendum, quod exemplo legis Aquiliæ, si is propter quem quis in Flauiam committit decesserit; adhuc accusatio, & pœna legis Flauiæ superest. N. N, l. 3. § illud, ff. eod.

§. Non tamen statim plagiarium esse, qui furti crimine ob seruos alienos interceptos tenetur; O, quia causa intercipiendi quæri oportet:

tet; P, quapropter qui ancillam non meretricem libidinis causa surripuerit, furti actione tenebitur, & si solùm surripuerit, pœna legis Flauiæ coercebitur: Q, si verò scortum suppresserit libidinis causa, lege Flauia non tenetur; hic enim turpius facit, quàm qui surripuit; sed quia secum facti ignominiam compensat, certè fur non est. R.

§. Si quis autem amico peregrè eunti mandauerit, vt suum fugitiuum seruum quærat, & si inuenerit vendat, nec ipse contra Senatumconsultum Libonianum committit, quia non vendidit, nec amicus eius, quia præsentem vendidit, emptor quoque qui præsentem emit rectè negotium gerit, S, sed dumtaxat, vel in eum procedit lex Flauia, qui fugitiuum alienum suscepisse, celasse doceatur; T, quia in fuga seruum constitutum, neque vendere, neq; donare licet, V, vel in ipsum dominum, qui fugam serui sui vendidit: X, quod secus est si seruus fuerit absens; nam aliud est abesse, aliud in fuga esse: Z, qui in fuga est, in libertatis cuiusdam specie est, hoc est potestate Dominica in præsenti liberatus est. AA.

§ Sciendum tamen est, quod si aditus super hoc fuerit competens Iudex, si is, qui puerum ingenuum vendidisse proponitur, ibi degat, ibi causam cognoscet. BB.

O, *l. 6. ff. hoc tit.*

P, *l. verum est, ver. nec factum, ff. de furtis.*

Q, *l. fullo §. qui ancillam ff. de furtis supra tit. 3. §. qui verò.*

R, *l. verum, vers. an tamen, ff. eodem*

S, *l. 35. §. si quis, de contrahend. emp. l. 2. vers. item, ff. hoc titulo.*

T, *l. eum qui ff. hoc tit.*

V, *l. in fuga, C. hoc tit.*

X, *l. 2. §. hoc amplius, vers. hoc autem, ff. hoc tit.*

Z, *l. sciendum, ff. hoc tit.*

AA, *l. quis sit §. idem ait, vers. idem rectè, ff. de ædilit. edicto glos. donare in l. in fuga C. hoc tit.*

BB, *l. 2. C. vbi de crimine agi, &c.*

TITVLVS XXVI.

De Falsitate, & Simulatione.

FALSI crimen publicum est, & dicitur immutatio, seu imitatio veritatis: A, & id videtur esse falsum, si quis chirographum alienum imitetur; B, quoniam illud studium falsatoribus est, vt ad imitationem

A, *Auth. de instrumentorum cautela, & fide vers. eo, quod glos pen. in §. fin instit. de satisd. tutor.*

B, *l. 23. ff. de falsis.*

nem literarũ semetipsos maximè exercent : C, ac proindè falsum testamentum id rectè dicitur, quod si adulterinum non esset, verum testamentum diceretur. D,

C, *Auth de instrumentorum cautela, vers. illud.*

D. *l. 6. vers. & falsum ff. de falsis.*

§. Falsum verò multis modis committitur, veluti si quis in falsas testationes faciendas, testimoniaue falsa dicenda dolo malo coierit: E, immò de impudentia eius, qui diuersa Reo, & actori testimonia præbuit, cuius ita anceps fides vacillat, quin crimine falsi teneatur, dubitandum non est. F.

E, *l. 1. ff. de falsis.*

F, *l. 27. §. de impudentia ff. de falsis*

§. Item qui ob instruendam aduocationem, testimoniaue pecuniam acceperit, pactusue fuerit, societatem coierit ad obligationem innocentium, & qui Iudicem corruperit, corrumpendumue curauerit, qui in rationibus, tabulis, cæreisq; vel alia qua re, siuè consignationis, falsum fecerint, vel rem amouerint; perindè ex his causis, atque si essent falsarij, puniuntur. G.

G, *l. 1. §. item, §. qui l. 2. ff. de falsis.*

§. Qui veluti præsentem scripsisse res accepisse suas, cùm absens esset, conscripserit, non ignorans quicquam aufert; sed se criminis falsi obligat periculo. H.

H, *l. 13. C. de falsis.*

§. Qui duobus insolidum eamdem rem, diuersis contractibus, vendidit, pœna falsi coercetur: I, qui edicta proposita dolo malo corrumpunt, falsi pœna plectuntur. L.

I, *l. 21. ff. eod.*

L, *l. 32 ff. eod.*

§. Quamuis falsi nominis, vel cognominis asseueratio, pœnæ falsi coercetur; M, tamen mutare nomen, vel pronomen, siuè cognomen, sine aliqua fraude, licito iure in libero minimè prohibetur, nullo ex hoc præiudicio futuro. N

M, *l. 13. ff. eod.*

N, *l. vnica §. mutare C. de mutatione nominis.*

§. Si quis etiam per obreptionem superuendendo ære, vel rescripto aliquo, vel etiam annotatione sibi arripuerit facultatem, non solùm fructum propriæ petitionis amittat; verùm

etiam

O, *l. 3. C. de falsa moneta.*

P, *l. 14. vers. ad Senatum ff. de falsis infra tit. 29. §. idem quoque.*

Q, *l. 1. §. inter filium ff. de falsis.*

R, *l. filius vers. emancipatus, ff. de falsis.*

S, *l. Diuus ff. eod.*

T, *l. 3. C. de ijs, qui sibi ascrib. in testa.*

V, *l. 5. C. eod.*

X, *l. 15. §. scribere, ff. de falsis.*

etiam pœnam, quam meretur accipiat. O.

§. Sciendũ quoq; est, falsum distingui in falsum, & quasi falsum de falso iam dictũ est: de quasi falso dici oportet; nam cùm prohibitũ sit nobis, vel ijs, quos in potestate habemus, adscribere legatum; excusatus is videtur, qui iussu eius, in cuius potestate est, adscripsit: sicut seruus, & filius, si tamen iussus ex subscriptione testatoris apparet: P, sed inter filiũ, & seruum, & extraneum testamentum scribentes hoc interest, quod in extraneo, hoc est in filio emancipato, excusatio admittitur, si specialiter à testatore subscriptio facta est; nimirum quod testator dixerit, quod scilicet illi dictaui, & recognoui: Q, & ratio hoc suadet, quia emancipatus filius pœna falsi tenebitur, licèt iussu patris scripserit: R, in alijs verò pœnitus extraneis, cum alterius testamentum, vel codicillos scriberent, legatum, sua manu adscripserint; perinde tenentur, ac si commisissent in legem Corneliam: & ne vel ijs venia datur, qui se ignorasse pœnæ seueritatem prætendant; S, quamuis veniam deprecantibus ob ignorantiam; & profitentibus à relicto discedere, rarò venia data est: T, quod non procedit in milite, sibi legatum iussu cõmilitonis ascribente, quamuis pro non scripto habeatur; & ideò id legatum petere non potest; tamen ex indulgentia, pœnæ legis Corneliæ sibi remittitur, in quam creditur se magis errore, quàm malitia incidisse. V.

§. Scribere autem sibi legatum videtur, nõ solùm qui manu sua id facit, sed etiam qui per seruum suum, vel filium, quem in potestate habet, dictante testatore legato honoratur. X.

§. Pœna autem falsi, vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio, &

si

si seruus eorum quid admiserit vltimo supplicio affici iubetur : Z. licet quandoq; grauior, quandoq; minor pœna imponatur: veluti, venditor mensuras publicè probatas frumenti, vini, vel cuiuslibet rei, aut emptor corruperit, doloue malo fraudem fecerit, quãti ea res est, eius populo condemnatur, & in insulam ij relegantur, qui pondera, & mensuras falsassent. AA.

Z, §. *item lex Cornelia gloss. deportatio Instit. de publ. iud. gloss. in l. si ex falsis C. de translatio. l. 1. §. pœna ff. de falsis, l. hac sanctione, C. de diuers. offic. lib. 12. in fine.*

§. Si quis verò falsis constitutionibus, nullo authore habito, vtitur lege Cornelia, aqua, & igni ei interdicitur. BB.

AA, *l. 32. ff. de falsis.*

BB, *l. 33. ff. eod.*

§. Denique sciendum est, quod qui compositis per scelus codicillis, in seueritatem legis Corneliæ inciderunt, non possunt defensiones recusando, euitare; quamuis illis prosit instrumenti vsu abstinere, qui non ipsi falsi machinatores esse dicuntur, & quos periculo solus vsus adstrinxerit. CC.

CC, *l. 8. & §. qui autem C. de falsis.*

§. Ideò si vteris instrumento, de quo alius accusatus falsi victus est; & paratus est (si ita visum fuerit) à quo pecuniam petis, eiusdem criminis se Reum facere, & discrimen pœnæ legis Corneliæ subire, non oberit sententia, à quà nec is contra quem data est, appellauit, nec tu, qui tunc criminis non eras subiectus, appellare debuisti : DD, & hinc est, quod, si aduersarius tuus apud acta Præsidis Prouinciæ cum fides Instrumenti, quod proferebat in dubium reuocaretur, non vsurum se contestatus est vereri non debet, ne ex ea scriptura, quam non esse veram, etiam professione eius constitit, denuò repetatur. EE.

DD, *l. si vteris C. de fide instrument. vbi gloss. periculi.*

EE, *l. si aduersarius C. eod.*

§. Quod si criminalitèr, cæptũ iudiciũ interuentu indulgẽtiæ sopitũ est habet, tamen hæres residuam indagationem, & potest de fide scripturæ ciuilitèr quæri : FF, ac proindè datur licentia litigatoribus, si apud Iudicẽ proferatur

FF, *l. 9. §. quod si C. de falsis.*

scri-

scriptura, de qua oritur aliqua disputatio profitendi, verum de falso criminalitèr statuat, qui dubitat de instrumenti fide experiri, an ciuilitèr. GG.

GG, *l. damus C. de falsis.*

De Simulatione.

§. Simulatio est fictio eius, quod non est decipiendi causa veritatis specie: quapropter ijs, quæ simulatè geruntur, pro infectis habitis, frustra ficti pretij postulatur numeratio. HH. Acta enim simulata, veritatis substantiam mutare non possunt, II, quare si ancillam ex emptione sibi quæsitam, mater tua donatione à secundo marito postea se simulauit accepisse tituli falsi figmentum donationis ei duplicare, vel auferre non potuit. LL

HH, *l. cum ea C. de transact.*

II, *l. acta C. plus valere.*

LL, *l. si ancillam, C. de contrahen. emption.*

§. Quocirca compertum est, quosdam alienis rebus, fortunisq; inhiantes cessiones alijs competentium actionem in semetipsos exponi properare, hocq; modo diuersis personas litigatorum vexationibus afficere. MM.

MM, *l. per diuersas C. mandati.*

§. Huiusmodi ergo machinationes amputari oportet cum circumueniendi animo factas esse conspiciatur. NN.

NN, *l. 23. §. si quis vers. huiusmodi machinationem, & l. 24. in fine vers. nisi fortè C. mandati.*

§. Ac proindè simulatio pœna falsi punitur, nam si creditor colludens cum debitore suo tibi prædium venundedit, falsum committit, & tibi nihil officit, sed se magis criminis accusationi fecit obnoxium. OO.

OO, *l. si creditor, C. ad l. Cornel. de falsis.*

§. Item falsus creditor, hoc est is, qui se simulat creditorem, si quid acceperit furtum facit, nec nummi eius sunt. PP.

PP, *l. falsus ff. de furtis.*

§. Qui simulat alienam rem inuenisse, non idcircò euadit pœnam furti, quia etiam qui alienum quid iacens in terra lucrifaciēdi causa sustulit furti obstringitur, siuè sciat cuius sit, siuè ignoret, QQ, quanto magis cùm simulet, quia vltra furtum decipere intendit.

QQ, *d. l. falsus Creditor §. qui alienum ff. de furtis.*

TI-

TITVLVS XXVII.

De Delictis Carnis.

CARNIS delicta sunt fornicatio, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sodomia, bestialitas.

§. Fornicatio, licet dicatur omnis immunda pollutio, cuiuslibet illiciti coitus, qui sit extra vxorem legitimam; tamen specialitèr intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. A.

§. Huius delicti pœna nulla est; licet meretrices esse, & ad meretrices accedere, prohibeatur. B.

§. Concubinatus crimen est cohabitatio, quæ cum muliere soluta, olim cum testatione de illam vti concubinam habendo, permittebatur; sed nemini licentia concedebatur, quod constante matrimonio, concubinam penes se haberet. C.

§. Graue tamen delictum nostris temporibus est, nam homines solutos, seù vxoratos, concubinas habere indignum reputatur; quare statutum est huiusmodi delinquentes, ter admoneri, vt concubinas eijciant, & censuris cogantur, quibus neglectis si per annum permanserint, seuerè pro qualitate criminis contra eos proceditur; mulieres verò, siuè coniugatæ, siuè solutæ, quæ cum adulteris, seù concubinarijs publicè viuunt, grauitèr pro modo culpæ puniuntur, & extra oppidum, vel diœcesim eijciuntur. D.

§. Stuprum quoque generale nomen est, quod indifferentèr lex Iulia de adulterijs vtitur: E, atque etiam intelligitur in his mulieribus, quæ turpitèr viuunt, vulgòq; quæstum fa-

A, *can.* [*lex illa* §. *cum ergo vers. fornicatio* 36.*q*.1.*can. meretrices* §. *omnis* 32.*q*.4.*can. non solúm* 32.*q*.7.

B, *d. can. meretrices can. prædicandū* 32.*q*.2 *can. adulterij* 32. *q*.7.

C, *l. vnica C. de concubinis l.* 1. & 3. *ff. eod.*

D, *Concil. Triden. cap. graue* 8. *sess*. 24. *de reformat.*

E, *l inter ff. de verbor. signif. cap. nemo* 32. *q*.4.

faciunt: F, sed propriè est virginum illicita deflotatio; quando videlicèt non præcedente coniugali pactione vtriusque voluntate virgo corrumpitur: G, in vidua quoque honesta, vel quæ se alicui prostituit; H, ac in virgine nondum viri potente, & immatura; I, vel etiam in puero committitur. L.

§. De stupro quoque accusari potest ille, qui relicto cœlibatu, cùm aliam matrem familiam in Prouincia reliquisset sollicitauit ad nuptias, à quo crimine mulier remota est, eo quod vxorem se esse credebat: & ideò eidem viro, crimen stupri ab accusatore legitimo, solemnitèr inferri potest. M.

De Adulterio.

§. ADulterium est concubitus cum alterius coniuge commissus, ac proindè dicitur alieni thori violatio, & propriè in nuptâ, vel etiam in sponsam patratur; & sic appellatur propter partum ex altero conceptum; N, & sine dolo non committitur. O.

§. Et quamuis adulterij crimen inter publica iudicia referatur; P, tamen ne volentibus temerè liceat fœdare connubia, proximis, necessarijsq; personis solummodò placet, deferri copiam accusandi; patri scilicèt, fratri, necnon patruo, & auunculo, quos verus dolor ad accusationem impellit: Q, sed in primis maritum genialis thori vindicem esse oportet, cui quidem etiam ex suspicione ream coniugem facere licet. R.

§. Extraneus verò licet procul ab accusatione arceri debet; S, tamen si pater, & maritus accusare renuerint, sibi accusandi facultas permittitur. T.

§. Mulierem autem adulterij viri sui accusa-

F, *l. stuprum ff. de ritu nupt.*

G, *can. lex illa, §. cum ergò, vers. stuprum 36. q. 1. l. 2. §. initium, ff. de origine iuris ibi arrepto cultro.*

H, *l. inter libertas §. lex Iulia, ff. de adult. & l. inter, ff. de verb. signif.*

I, *l. si quis §. qui nondum ff. de pœnis, l. si stuprum ff. de iniur.*

L, *l. 1. §. qui puero ff. de extraor. crim.*

M, *l. 18. §. verumtamen C. de adult.*

N, *l. 6. §. lex Iulia, vers. sed propriè, ff. de adulter. l. si vxor §. Diui ibi nec spem matri ff. eod.*

O, *l. si ex lege, ff. de adulter.*

P, *l. 30. C. eod.*

Q, *l. 30. C. de adul.*

R, *l. 30. §. in primis, C. eod.*

S, *d. l. 30. §. in primis vers. extraneos infra lib. 4. tit. II. §. quod si.*

T, *l. 15. §. si negauerit ff. de adul. infra lib. 4. tit. II. §. quod si.*

cuſationem non habere declaratum eſt; quamuis de matrimonio ſuo violato quæri velit. V. V, *l.* 1. *C. de adulter.*

§. Si verò ſimul ad accuſationem veniant maritus, & pater, maritus præfertur: nam & propenſiore ira, & maiore dolore executurum cum accuſationem credendum eſt. X. X, *l.* 2. §. *ſi ſimul, ff. de adulterijs*;

§. Verùm ſi accuſatio per maritum illata, vera eſſe oſtendatur; tunc repudium nuttere debet; ſi verò illam adulterij accuſationem maritus non probauerit, illis ſubijciatur pœnis, quas eſſet paſſura mulier, ſi accuſatio comprobata fuiſſet. Y, Y, *Auth. ſed nouo iure C. de adulter.*

§. Iudex verò antè oculos habere debet, & inquirere an maritus pudicè viuens, mulieri quoq; bonos mores colendi author fuerit. Z. Z, *l.* 13. §. *Iudex, ff. eod.*

§. Quapropter fœdiſſimam earum mulierũ nequitiam, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus, proſternunt, leges vlciſcuntur. AA, Ideò hodie adultera verberata in monaſterium mittitur, quam intra biennium viro recipere licet; biennio tranſacto, vel viro priuſquam eam reduceret mortuo adultera tonſa monaſterio habitu ſuſcepto, ibi dum viuit permaneat, duabus partibus propriæ ſubſtantiæ liberis, ſi habeat, applicandis, tertiæ monaſterio, ſed ſi liberos non habeat, parentibus extantibus huiuſmodi iniquitati non conſentientibus, tertia pars applicabitur, duæ monaſterio, quibus prædictis non extantibus, omnis eius ſubſtantia monaſterio quæretur, pactis dotalium inſtrumẽtorũ in omni caſu viro ſeruandis, BB, AA, *l.* 20. *C. eod.* BB, *Auth. ſed hodie C. de adulter.*

G *De*

De Incestu, & Incestis Nuptijs.

§. INcestus crimen est consanguineorum, vel affinium abusus, CC, grauius est adulterio, DD, & patratur cum quis ex his quas legibus, aut moribus prohibemur vxores ducere, duxerit; EE, & si concubinam quis habuit sororis filiam licet libertinam, incestum committit. FF.

§. Immò si quis viduam, vel nuptam, cum qua nuptias contrahere non potest, corruperit, duplex crimen committit, incestum scilicèt, quia cognatam violauit contra fas, & adulterium, vel stuprum adiungit; GG. defuncta quoque socru, gener incesti, vt adulter postulabitur post mortem mulieris. HH.

§. Huius criminis pœna, vel est in insulam deportatio, II, vel quasi contra sacrilegos nuptiarum, gladio puniri oportet. LL.

§. Si adulterium cum incestu committatur, vt puta cum priuigna, nuru, nouerca, mulier quoque similitèr punitur; id enim remoto, etiam adulterio eueniret. MM.

§. Mulieres quoque, eam demum pœnam, quam mares sustinebunt, cum incestum iure gentium prohibitum, admiserint, nisi fuerint in iure errantes; quo casu incesti nomine non tenerentur. NN.

§. Ab incestis verò nuptijs vniuersi noueruntt temperandum, & fratris vxorem ducendi, vel duabus sororibus coniungendi penitus licentia submouetur; neç dissoluto quoque modo coniugio. OO.

§. Tandem sciendum est, quod cum Tutor non rebus tantùm, sed etiam moribus pupilli præponatur; PP, idcircò si Tutor, pupillam quondam suam, violata castitate stuprauerit, de-

CC, Can. lex illa. §. cum ergo 36. q. 1. Rub. C. de incestis nupt. & Auth. eod.

DD, l. si adulteriũ §. primo, vers. nonnunquã ff. de adulterijs.

EE, l. 39. §. si quis, ff. de ritu nupt.

FF, l. etiamsi, ff. eod.

GG, l. 5. ff. de quæstion.

HH, l. 44. ff. de adulter.

II, d. l. 5. ff. de quæstion.

LL, l. 30. §. sacrilegos, C. de adulter.

MM, l. si adulteriũ ff. de adulterijs.

NN, l. 38. §. stuprum, vers. quare mulier, & vers. nã & mulier, ff. de adulterijs.

OO, l. 5. l. 9. C. de incestis nupt.

PP, l. 15. §. cum tutor, ff. de adminis. tut.

deportationi subiugetur, atque vniuersæ eius facultates, Fisci iuribus vendicentur; quamuis eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori leges imponunt: QQ, quoniam nec in vxorem ducere, & si eam duxerit, potest stupri accusari: RR, & pro dignitate pupillæ, vltra infamiam extra ordinem coerceri: nam si Tutor, vel Curator pupillam, vel adultam quondam suam sibi, vel filio suo nullo diuino impetrato beneficio in matrimonio collocauerit, manet infamia contra eum, veluti confessum de tutela: quia huiusmodi coniunctione, fraudem administrationis tegere laborauit: SS, quia non est matrimonium, si tutor, vel curator pupillam intra vigesimum quintum annum non desponsatam, à patre, neque testamento destinatam, ducat in vxorem: TT.

QQ, *l. vnica, C. si quis eam, cuius tutor, &c.*

RR, *l. 7. ff. de adulter.*

SS, *l. 66. vers. quo facto, ff. de ritu nuptiarum, l. amplissimis, C. de excusat. tutor. l. 7. C. de interdicto matrim.*

TT, *d. l. 66. ff. de ritu nupt.*

§. Paritèr si qua cum seruo suo occultè rem habere detegitur, capitali sententiæ mulier subiugetur, verberone, idest seruo verberato igni tradendo. VV.

VV, *l. vnica C. de mulieribus, quæ se proprijs seruis iunxerunt.*

De Raptu.

§. Raptus crimen admittitur, cum puella violentèr à domo Patris abducitur; vt corrupta in vxorem habeatur, siuè puella solummodò, siuè parentibus tantùm, siuè vtrisq; constiterit. XX.

XX, *can. lex illa, §. cum ergò 36. q. 1. vers. Raptus.*

§. Sed moribus introductum est, quod ibi raptus dicatur admitti, vbi nil de nuptijs agitur, sed vbi raptor mulieris assensum habuerit, atque prius eam desponsauerit, de raptu argui minimè potest: ZZ, immò puella rapta legitimè contrahet cum raptore; si prior dissensio transeat post modum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat com-

ZZ, *cap. cum causa de raptor.*

AAA, *cap. vltimo de raptor.*

BBB, *l. 5. §. qui vacantem ff. de vi pub.*

CCC, *l. 1. §. persuadere, ff. de seruo corrupto.*

DDD, *l. vnica §. pœnas, vers. vt huic C. de raptu virg.*

EEE, *d. l. vnica, C. eod.*

FFF, *d. l. vnica vers. sin autem, &c. in fine.*

GGG, *d. l. vnica, §. ne igitur vers. vt ij, C. de rapt. virg.*

placere dummodò ad contrahendum, legitimæ sint personæ. AAA.

§. Raptores verò honestarum mulierum; sicut in hoc crimen legis Iuliæ de adulterijs excedant; BBB, itane sine vindicta talis crescat insania, sancitum est, vt tam detestabile crimen durissimis, & capitalibus pœnis afficiantur; quocirca non tantùm qui per vim mulierem rapere ausus est, sed etiam qui persuasit, vt consentiret, huiusmodi pœnis subiectus est; nam persuadere plus est, quàm compelli, atque cogi; CCC, atque etiam his pœnis subiacent Raptores, siuè volentibus, siuè nolētibus virginibus, siuè alijs mulieribus tale facinus fuerit perpetratum: quia hoc ipsum velle mulierũ, ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. DDD.

§. Igitur raptores virginum honestarum, vel ingenuarum, siuè iam desponsatæ fuerint, siuè non, vel quarumlibet viduarum fœminarum, licèt libertinæ, vel seruæ alienæ sint, si in tali crimine comprehensi sint, capitis supplicio plectendi sunt, EEE, hoc est post legitimas, & iuri cognitas probationes, sine fori præscriptione nulla data appellandi licentia, durissimis pœnis affici, & mortis condemnari supplicio possunt. FFF.

§. Immò non solũ ij, qui huiusmodi crimen commiserint; sed etiam ij, qui eis auxilium inuasionis tempore præbuerint, & ibi inuenti fuerint in ipsa rapina, & adhuc in flagranti crimine comprehensi, & à parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum, aut earum consanguineis, aut à tutoribus, vel curatoribus, vel patronis, vel dominis conuicti, interfici possunt. GGG.

Ra-

§. Raptores verò virginum, vel aliarum fœminarùm Deo dicatarum, cùm ad ipsius Omnipotentis Dei irreuerentiam peccent, mortis damnantur supplicio, HHH, & bona eorum eidem monasterio vbi consecratæ sunt addicantur. III.

HHH, *d.l. vnica, C.eod.*

III, *l. raptores, §. bona, C. de Episc. & Cler.*

De Sodomia, & Bestialitate.

§. SOdomia crimen atrocissimum, & pessimâ cum puero, vel muliere abusio est, diabolicum inuentum, ac naturæ ipsi contrarium, cùm sit coitus in membro ad hoc non concesso, & qui ista grauissima luxuria semetipsos inferunt, sciant, quod legibus, & constitutis subijcientur, & vltimis subdentur supplicijs. LLL.

LLL, §. *omnibus vers. igitur, & vers. & propterea, & verrs. legibus, Auth. vt non luxurientur, l.1. §. qui puero, ff. de extraord. crim.*

§. Pessima enim erat olim abusio; nam vir muliebra patiebatur, & nubebat in fœminã: idcircò sancitum fuit insurgere contra eos leges, armari iura gladio vltore, vt tales exquisitis pœnis subderentur, & infames ipso iure, qui sunt, vel qui futuri essent Rei. MMM.

MMM, *l. cum vir, C. de adulterijs,*

§. Huic sceleri proxima est bestialitas, quæ est cum brutis fœda commixtio, qui enim coierit cum iumento, morte mori debet, NNN, immò comburitur simul cum animali; mulier verò, quæ accesserit ad aliquod pecus, & vult ascendi ab eo, interficitur, & pecus paritèr mori debet: & pecora indè credendum est iussa interfici, quia pecora tali flagitio contaminata, indignam refriçant facti memoriam. OOO.

NNN, *can. Reos, §. item qui 23. q. 5.*

OOO, *can. mulier 15. q. 1.*

TITVLVS XXVIII.

De Processu instruendo.

POSTQVAM de delictorum diuisione, ac de illorum speciebus, vti ad iuris notionem spectantibus dictum est, consentaneum videtur, vt de ijs, quæ ad facti notionem pertinent, dicamus, & hæc circa delicta requirenda, & super illis procedendum versari certum est: qui quidem processus ex more curialium informatiuus appellatur, seù potius progressus vnius probationis, in aliam dicendus est.

§. Sed vt ijsdem accommodetur facti notio sciendum est, quod informari de delicto accipimus, si Iudices postquam ab officij sollicitudine, nempè à Palatinis, vel Curiosis, vel alijs Officialibus fuerint admoniti, A, de delicto probationem suscipiunt, & super eo testes quot necessarij visi fuerint, adhibent, vt se conuenienti diligentia instruerent, B, qui testes si per executores admoniti venire noluerint, C, cogi possunt, vt adsint, atque vt eorum dicta separato, tamquam antè iudicium recipiantur. D.

§. Omnes enim, qui suum præbent testimonium, deposito exceptionis fori priuilegio, ac huiusmodi præsidio denudati, adiudicantis debent intrare secretum. E.

§. Huius processus instructio, seu delictorum notio duplici actu perficitur, vel per recognitionem facti criminosi, vel per probationem criminis, de quibus infra.

A, *l. 18. vers. postquam C. de testibus, l. 2. C. de delatoribus, l. 1. C. de Curiosis.*

B, *d. l. 18. vers. quatenus, d. l. 2. C. de delatoribus.*

C, *d. l. 18. vers. per executores.*

D, *l. nullum, vers. separato, C. de testibus.*

E, *d. l. nullum, C. eod.*

TITVLVS XXIX.

De Facti Criminosi Recognitione.

HOC factum criminosum oculari inspectione contemplatur; nam si homo fuerit percussus, ictus contemplari oportet: A, quæ cōtemplatio à latrunculatoribus corpus delicti appellatur, quod distinguūt in actu permanēs, & in actu transiens: de primo sciendum est, quod nisi constet aliquem esse occisum, haberi non potest de Reo inquisito, quæstio; liquere igitur debet scelere, quem fuisse interemptum B, & tunc constare dicitur, cùm de ipso facto legitima cognitio habetur, nam sicut dolo quid factum sit ex facto ipso intelligitur, ita an factum criminosum fuerit sceleré patratum, ex ipsomet facto intelligi potest. C;

A, *l. 17. ff. de Sicarijs.*

B, *l. 1. §. item illud, ff. ad Syllan.*

C, *l. 1. §. sed ex dolo, ff. de doli mali excep.*

§. Idem quoque in falsitate considerari potest, nam si quis legatum sibi adscripserit pœna legis Corneliæ tenetur: quamuis inutile sit legatum, quod tamen tunc verum est, cùm perfectum testamentum erit; prius enim oportet esse aliquod testamentum, saltem non iure factum: D, nā priusquàm de crimine cōstiterit apud eū, cui conuictis Reis pœnam irrogare licet, nulla pœna à Fisco peti potest. E.

D, *l. si quis, ff. de falsis supra tit. 26. §. sciendum.*

E, *l. 1. C. vbi causæ fiscales.*

§. Hoc quoque in furto attendendum est; nam si is, qui simulabat se Procuratorem esse, effecerit, vt vel sibi, vel cui me delegauit, promitterem, furti cum eo agere non possum, quoniam nullum corpus interuenit, quod furandi animo contrectaretur; F, quia neque verbo, neque scriptura, quis furtum facit; G, oportet enim rei furatæ existentiam, & deficientiam probari.

F, *l. 77. ff. de furtis.*

G, *l. 52. §. neque, ff. eod.*

§. De secundo autem quando scilicet non remaneant vestigia facti criminosi, necessarium est probationes concludentes adesse, Vt condemnatio sequi possit; nam quando v. gr. vis in iudicio fuerit patefacta, hoc est liquidè probata, quæstio deindè proponi potest: H, sicut in delicto præuaricationis, in quo non prius accusatur, quàm de prioris accusatoris præuaricatione constiterit, & de crimine pronunciatum fuerit. I,

H, l.9. C. vnde vi.

I, l.3. vers. cauetur, ff. de præuar. l. eius qui, vers. verum, ff. de iure Fisci.

TITVLVS XXX.

De Criminis Probatione.

CVM non sit idem constare de facto criminoso, de quo proximè dictum est, & constare de crimine, de quo mox dicetur: idcircò post contemplatum factum criminosum, oportet doceri dictum factum dolo malo fuisse patratum: non enim sufficit ostendisse in facto dolum esse: A, nisi etiam probetur. B,

§. Quocirca sciant cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indicijs ad probationem indubitatis luce clarioribus, expedita: C, non enim Reus suorum iurium inquirendorum Fisco, seu accusatori facere debet potestatem; D, nec accusator debet initium probationum, à domo Rei sumere. E,

§. Probatio verò melior erit, si per testes vndique idoneos, & omni exceptione maiores, eam accusator ostenderit: F, ideò ex suspicionibus non debet quis damnari: G, & præcipuè si suspiciones leuiores sint. H.

§. Idonei autem testes sunt, qui nulla ex-

A, arg. textus in l.2. §. sequitur, vers. docere, ff. de doli mali except.

B, l. ordo ff. de pub. iud.

C, l. sciant cuncti, C. de probat. infra lib.3. tit.5. §. primo, vers. quoniam.

D, l. 4. C. de edendo.

E, l. 10. §. tormenta ff. de quæstion.

F, l. 14. §. & si inter, vers. & melius quidem, C. de contrahen. & comm. stip.

G, l. absentē, §. sed nec ff. de pœnis.

H, l. 3. §. si quis in fine, vers. idem tamen, ff. de minoribus.

exceptione repelluntur, & ad Iudicis officium spectat, eius testimonij fides, quod integræ frontis homo dixerit perpendere, vt dictum est; I, quia eisdem testibus, non testimonijs credendum sit: L, qui quidem testes apud Iudicem repræsentandi sunt, vt cum res exegerit, tormentis etiam subijciendi. M,

I, *l.13.circà finem ff. de testibus supra lib.2.tit.16.§.pœna calumniantium.*

L, *l.3.§.idem diuus, ff. eodem.*

M, *Auth.apud eloquentissimum, C.de fide instrumentorũ.*

TITVLVS XXXI.

De Indicijs, & Coniecturis.

VERVM quia vt plurimum immò sæpissimè in probandis criminibus, indicijs, atque etiam coniecturis, vtimur; ideò quid sit indicium, quomodo sit probandum, & quale sit, & esse debeat dicendum est.

§. Indicium est signum, seu argumentum verisimile, atq; probabile ad veritatem inuestigandam, A, facinus enim nedum manifesta fide, sed etiam indicijs euidentibus publicatur; B.

A, *l.8.vers.sed argumentis, C.de quæstion.*

B, *l.si quis adulterij, C. de adulter.*

§. Igitur indicia certa, quæ iure non respuantur, quamuis si ciuilitèr de proprietate domus agatur, non minorem probationem, quam instrumenta, contineant fidem: C, tamen si de crimine agatur, manifestis indicijs, eius accusatio debet comprobari; D, ita vt Reus ex ijs suspectus fiat, & ita probationi admotus sit, vt sola eius confessiò deesse videatur. E.

C, *l. indicia C.de rei vindic.*

D, *l. 3. vers. si alijs, C. ad l.Iuliam maiestat.*

E, *l. 1. vers. cum suspectus ff. de quæstion.*

§. Quapropter indicia, alia dubitata, alia indubitata dicũtur: Indubitata sũt, quę Gręci τεκμήριον vocant, & rem reddunt clariorem: F, dubitata verò sunt argumenta quædam, quæ ijdem Græci appellant σημεῖον,

F, *l.fin.C.de probā.*

&c

G, *Quintilianus lib 3. cap. 9.*

H, *l. 12. ff. de testibus, glos. vel indicijs, C. famil. erciscun.*

I, *l. 14. C. de accus.*

L, *l. si quis, §. si quis moriens, ff. ad Sylan.*

M, *glos. coniecturam in l. 21. C. de furtis.*

N, *l. 137. §. cum ita in fine, ff. de verb. oblig.*

O, *cap. 1. de praesumpt.*

P, *l. nam, ff. ad l. Aquil. glos. in d cap. 1. vers. ludens de praesumpt.*

& rem dubiam indicant; G, quæ duobus saltem testibus probari oportet. H.

§. Ideò singuli vniuersiq; Iudices cognoscant, in publicis criminibus non oportere emendicatis suffragijs decretorum, aut relationibus à publicis personis destinandis credere, sed rei veritatem inquirere. I.

§. Propterea si quis moriens dixisset à seruo vim mortis sibi illatam esse, dicendum est non esse ei credendum; nisi potuerit etiam probari. L.

§. Coniectura verò est quando sensus tacitè ex litera elicitur, & non est in litera expressum, & sic est argumentũ, quod tacitè elicitur, M, quoniam in eo, quod certum est, nullus est coniecturæ locus, N, vndè v.g. sicut noxius est, qui lanceas, & sagittas in mortem mittit; ita vir, qui fraudulentèr nocet amico suo, & cùm fuerit deprehensus dicit, ludens feci. O, Ludus enim noxius, in culpa est, ac proindè si indè sequitur maleficium coniectura est, vt sit prauè factum. P.

Finis Libri Secundi.

IN-

INSTITVTIONVM CRIMINALIVM LIBER TERTIVS.

TITVLVS PRIMVS.

De exhibendis, & transmittendis Reis.

SVPERIORE libro dictum est de ijs, quæ ad notionē Iudicis spectant: modò ad ea, quæ ad cognitionem eiusdem pertinent deueniendum est. Igitur cùm probationes super delicto ad Reum afficiendum receptæ sint; ac proindè factus sit locus prehensioni, & capturæ eiusdem: ideò prehendendus est, si præsens sit, vt eum sub custodia Prætor constituat, A, vel si latitat, per apparitorem exhibendus est, si de eius exhibitione Iudex pronunciauerit: B, & tunc eum exhiberi iubebit, si priùs de cæteris indicijs fuerit cōmonitus, C, vel si in longinquo sit, remittendus venit: ac proindè solent Præsides scribere ad Collegas suos, vbi factores, hoc est criminum auctores agunt, vt eos cum persecutoribus, idest fidis custodibus, ad se remittant. D.

A, *l.1.C.de exhib. & transmitt. Reis.*

B, *l.3. C. eod.*

C, *l.17. C.de falsis, l. Diuus, ff. de custodia Reorum, l.2.ff.de quæstion.*

D, *l.7.ff.de custod. Reor.§. si quis verò comprehensorum, Auth.vt nulli.*

§. Quapropter defensores Ciuitatum oblatos sibi Reos, in ipso latrocinio, vel congressu violentiæ, aut perpetrato homicidio, aut stupro, aut raptu, vel adulterio deprehensos expresso crimine cum ijs, à quibus fuerint

accu-

accusati, mox sub idonea persecutione, idest custodia ad Iudicem dirigant. E.

E, l.7.C.de defensoribus Ciuitatum,

§. Ei verò, qui reducendus est, ad disponendas res suas, componendosq; mœstos pœnates, spatium coram loci Iudice, aut etiam magistratibus sufficientium dierum non minus tamen triginta, tribuatur; nulla remanente apud eum, qui ad exhibendum missus est, copia nundinandi. F.

F, l.2 §.ei verò, C. hoc tit.

§. Et quamuis nullus in carcere, priusquàm conuincatur vinciri debeat; G, tamen neminem in iudicio exhibendum esse, cautum est; nisi (vt dictum est) de eius exhibitione Iudex pronunciauerit: H, quod quidem non procedit, vel in eo, qui adhuc in flagranti crimine comprehensus sit, I, vel in eo, qui in clandestinis sceleribus se exercet, veluti in monetarijs; nam necessitas incumbit huiusmodi homines inquirendi, & inuestigatos Iudici tradendi. L.

G, d.l.2.C.hoc tit.

H, l.3.C.hoc tit.

I, l.vnica §.ne igitur, vers. & adhuc, C. de rapt. virg.

L. l. 1, C.de falsa moneta.

§. Si verò miles in Prouincia repertus crimen publicum commiserit, eum Rector Prouinciæ sub custodia constituat, atque ita, vel causæ meritum, vel etiam personæ qualitatem ad Magistrum militum referat; M, præterquam si quid grauius in ea Prouincia, in qua repertus est, admiserit, ibi enim eum plecti pœna debere. vbi facinus admissum est; N, quia de militibus ita seruatur, vt ad eum remittantur, si quid deliquerint, sub quo militabant: is autem, qui exercitum acceperit, etiam ius animaduertendi in milites caligatos, hoc est viliores habet. O.

M, d.l.1.C.hoc tit.

N, l.3.ff.de re militari.

O, l. de militibus, ff.de custod.Reor.

§. Sciendum autem est, quod exhibere nihil aliud est, quàm præsentiam corporalem inquisitæ personæ præbere: P, vt Fisco, seu accusatori, qui agit experiundi sit copia: Q, & differt à deducere, quod est Reum inuitum

P, l 22.ff.de verbor.sign.

Q, l.2.ff.ad exhiben.

uitum ducere ad Iudicem. R.

§. Et huius exhibitionis varia exponuntur exempla; nam si quis fideiussoribus ne in vinculis conijciatur datus sit, exhibendus est; & si is, qui Reum criminis, pro quo satisdedit non exhibuerit, pœna pecuniaria plecti debet; si tamen dolo non exhibeat, & etiam extra ordinem damnandus est; sed si neque cautione, neque decreto Iudicis quantitas certa comprehensa est, nec consuetudo ostenditur quæ certam formam habeat: Præses de modo pecuniæ, quam inferri oporteat, statuet. S.

§. Sed de eo, qui ex custodia producitur, cognoscere debet is, qui prouinciæ præest, & cùm cognouerit, & constiterit remittat illum cum elogio ad eum, qui Prouinciæ præest, vnde his homo est, quod quidem ex causa faciendum est. T.

R, l. 3. §. pro sportulis circa finem, vers. nec exhibitionis vbi glos. deductionis C. de aduocatis diuers. iud.

S, l. 4. ff. de custodia Reorum.

T, l. non est, ff. eod.

TITVLVS II.

De Custodia Reorum.

REORVM custodia, alia publica, alia militaris, alia libera, alia fideiussoribus commissa est. Publica custodia carcer publicus est; militaris cum Reus militibus custodiendus traditur, fideiussoribus commissa dicitur cum quis obligatur de Reo custodiendo; libera est, cùm Præses sibi, aut alicui alteri Magistratui, Reum committit custodiendum.

§. Ideò de custodia Reorum Præses æstimare solet, vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem, vel pro criminis, quod obijcitur, quali-

tate,

tate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate eius, qui accusatur facere solet: A, nam eos, qui sunt in aliqua dignitate positi, non oportet vinculis publicis contineri. B.

A, l.1.ff.de custodia Reorum.

B, l.3. §.Tutores, ff. de suspectis tutoribus.

§. Et quamuis aliquando in carcerem Rei soleant diligentioris custodiæ causa recipi: C, tamen non est in vinculis conijciendus is, qui fideiussores dare paratus sit; nisi vel tam graue scelus ipsum admisisse constet, vt neq; fideiussoribus, neque militibus committi debeat: verùm hanc ipsam carceris pœnam, ante suppliciũ sustinere debet, D, vel si Reus confessus fuerit, quia tunc in vincula publica conijciendus est, donec de eo pronuncietur: Et qui confessum in iudicio Reum, & propter hoc in vincula coniectum emiserit, crimini læsæ maiestatis erit obnoxius. E.

C, l.6. §.eius qui, vers. non puto, ff. de iniusto rupto.

D, l.3.ff.de custodia Reorum.

E, l.5.ff.eod.l.4.in fine, vers.item qui, ff.ad l.Iul.maiestat.

§. De mulieribus autem cautum est, quod si crimen sit, quod eis infertur, in quo necessarium est, ipsas custodiri; siquidem fideiussorem præstare possunt, ipsi credantur, si verò iurauerint non posse dare fideiussorem, iuratoriam cautionem faciant de obseruatione iudicij: si verò grauissimum crimen, in quo accusantur inueniãtur in monasterium, vt mulieribus tradantur, per quas possint publicè, & liberè custodiri; donec causa earum manifestetur: tunc autem illa procedant in eas, quæ legibus definita sunt. F.

F, Auth. vt nulli, §.necessarium, vers. si verò, Auth. hodie, §.si verò, C.de custodia Reorum.

§. Verùm quia vnum carceris conclaue permixtos sexu criminosos includit; ideò mulieres, vt sexu à viris dispares, diuersa etiam claustrorum habere tutamina iubeantur: etiamsi pœnæ qualitas permixtione, propter identitatem criminis, iniungenda sit. G,

G, l.3.C.de custodia Reor. vbi glos.

§. Si autem seruus capitali crimine postuletur;

tur ; lege *Iulia* publicorum iudiciorum cauetur, vt sistendus, vel ab extero satisdato promittatur, quod si non defendatur in vincula publica conijci iubetur, vt ex vinculis causam dicat. H. *H, l. 2. ff. eod.*

§. Qui verò carcere effracto, euaserunt, & de eo eruperunt, siuè effractis foribus, siuè conspiratione, cũ cæteris, qui in eadem custodia erant capite puniendi sunt: quod si per negligentiam custodum, euaserunt mitiùs puniri debent. I. *I, l. 1. ff. de effractoribus.*

TITVLVS III.

De Priuato Carcere.

ET quamuis carcer publicus ad continendos homines, non ad puniendos haberi debeat; nihilominus solebant etiam Præsides in carcere continẽdos, damnare, vt in vinculis perpetuis continerentur; sed id eis prohibitum fuit, & huiusmodi pœnæ interdictæ sunt. A. *A, l. aut damnum §. solent, ff. de pœnis.*

§. Ideò nemo carcerem, plumbatarumq; verbera, aut pondera, aliaq; ab insolentia Iudicum reperta supplicia, vel à peruersis, vel ab iratis Iudicibus expauescat: carcer enim pœnalium, idest pœna dignorum, & hominum noxiorum est, & officialium, non priuatorum. B. *B, l. nemo, C. de extraordin. tribut. lib. 10.*

§. Ac proindè succurritur ei, qui in vinculis fuisset, quòd non solùm ad eum pertinet, qui publica custodia coercetur; sed ad eum quoque, qui à latronibus vi oppressus vinculis astringitur, vinculorum autem appellatione latiùs accipitur, nam etiam inclusos veluti latumijs, vinctorũ numero haberi placet, quia nihil intersit parietibus, an compedibus, quis tenea-

C, *l. 9. ff. ex quibus causis maiores.*

teneatur; custodiam autem solùm publicam, non priuatam accipi putandum est. C.

§. In eadem causa sunt, & qui à militibus, stratoribusq; vel à municipalibus ministerijs asseruantur, si probentur rei suæ superesse non potuisse. In vinculis etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, vt sine dedecore non possunt in publicum apparere. D.

D, *l. 10. ff. eod.*

§. Igitur nemini liceat, vel in agris suis, aut vbicumque domi priuati carceris exercere custodiam: & iubetur omnium Prouinciarum Rectoribus daturis operam, semperq; futuris in speculis, idest ad exemplum futuris in temporibus, vt supradicta nefandissimorum hominum arrogantia modis omnibus opprimatur; alioquin maiestatis crimen proculdubiò incursurus est, qui cognito huiusmodi scelere, læsam non vindicauerit maiestatem: Nam eos, qui hoc criminis genus commiserint; tamquam ipsius maiestatis violatores, vltimo subiugandos esse supplicio: E, licet ex quadam græca constitutione temperamentum aliquod afferatur; nimirum eos, qui priuatas custodias fecerint, pœna subijci, & tot dies manere in publico carcere, quot fuerit quis in priuato ab eis inductus cuiuscumq; sit conditionis, vel dignitatis, amittere etiam eos causam, quam habent aduersus inductos prouidentia Præsidis, quod si neglexerit, & bonorum, & salutis periculum sustinebit. F.

E, *l. 1. C. hoc tit.*

F, *l. 2. C. hoc tit.*

§. Ac proindè lege Iulia de adulterijs cauetur, vt viro adulterum, cum vxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere per horas diurnas, nocturnasq; continuas non plus quàm viginti, testandæ eius rei causa, vt vti sine fraude suo iure possit, liceat: quod & idem in patre seruandum, quod in marito expressum est. G.

G. *l. capitè quinto, ff. de adulter.*

TI-

TITVLVS IV.

De requirendis Reis.

NON solùm contra præsentes Reos, sed etiam contra absentes iudicium instituitur, pro cuius complemento Reus absens requirendus est, vt copiam sui præstet: cum inaudita causa, quem damnari æquitatis causa non patiatur. A.

A, l. 1. verſ. nec enim §. ſi autem, verſ. ſed abſens, ff. de requiren. Reis.

§. Absentes autem sunt, aut qui ante accusationem abfuerint, aut qui metu accusationis fugerunt, illi requirendi annotandi sunt, vt copiam sui præstent: Præsides autem circa requirendos annotatos hoc debent facere, vt eos, quos annotauerint, edictis adesse iubeant, vt possit innotescere eos, qui annotati sunt; sed & literas ad magistratus vbi consistunt mittere, vt per eos possit innotescere requirendos Reos esse annotatos; & ex hoc annus computetur ad se purgandos; B, quia cum absenti Reo grauia crimina intentantur, sententia festinari non solet, sed annotari, C.

B, d. l. 1. §. ſi autē verſ. ſed abſens, ff. de requirendis Reis, infra libro 4. titulo 10. §. in hunc verſ. nam ex hoc.

C, d. l. 1. C. eod.

§. Olim Rei absentis bona obsignabantur, & si intra annum rediret, & se purgasset rem suam habebat: D, & annus computabatur, ex quo annotatio facta fuerat. E.

D, l. 5. ff. hoc tit.

E, l. 4. ff. hoc tit.

§. De absentibus verò, qui metu accusationis fugerunt cautum est, vt eadem seruentur in bonis eorum, quæ in damnatorum bonis constituta sunt: F, hoc est, vt si quis accusationis metu profugisset, dies ei certa præfigeretur, ad quam nisi respondisset absens damnaretur, eiusq; bona publicarentur. Aduersus contumaces, qui neque denunciationibus, neque edictis Præsidum obtemperarunt sententia pronunciari oportet: sed secundùm

F, l. 28. verſ. eadēque, ff. de bonis lib.

morem priuatorum iudiciorum, potest quis defendere, & hæc non esse contraria, quid igitur est? meliùs statuetur in absentes pecuniarias quidem pœnas, vel eas, quæ existimationem contingunt, si sæpiùs moniti, & vsque ad relegationem procedi. Verùm si quid grauius irrogandum fuisset, puta in metallum, vel capitis pœna, non esse absentibus irroganda. G.

G, l.5.§.*aduersus*, *ff.de pœnis*.

§. Insuper licet pro absente, ad crimen iudicij publici persequendum, frustra Procurator interueniat; multò minus ad defendendũ, vt dictum est: H, tamen in capitalibus iudicijs defensio ad allegãdas causas absentiæ datur: I, & inter accusatorem, & Reum, cognitione suscepta, excusatio pro absente iustis rationibus admittitur: ne per triduum per singulos dies, ter citatus Reus damnetur, vel de accusatoris absentia præsente Reo calumnia pronuncietur. L.

H, l.13.§. *ad crimen*, *ff. de pub. iud.* *supra lib.2. tit.15.* §. *quamuis tamen*.

I, l.33. §. *publicè vers. nam in capitalibus ff.de procuratoribus*, l.3. *C.de accus*.

L, l.10.*ff.de pub. iud.*

TITVLVS V.

De Reo constituendo.

IN criminibus scrutandis examen etiã Rei inquisiti adhiberi solet, & multum valet pro delicti veritate habenda, à quo tamen non est incipiendum, nisi Reus suspectus sit: A, quoniam vbi nullis argumentis Reus vrgetur, constituta facilè habenda non sunt; sed iustandum accusatori, vt id, quod intendit comprobet, atq; conuincat. B.

A, l.1.*ff.de quæst.* & *infr.hoc tit.* §.*ac proindè*.

B, l. 18.§. *in eam causam ff. de quæst.* *supra lib. 2. tit.30.* §. *quocirca*.

§. Ideò Iudices in primis delicti qualitatem plena inquisitione oportet, vt discutiant, & postea ipsum Reum sæpius de delicto interrogent; & hoc ipsum ad Fiscum, atque Reum proficit, siue definienda causa per Iudicem,

dicem, siuè ad maiorem potestatem referenda sit: C, & toties Reus interrogari oportet, quoties aduersus eum inquisitio, seu accusatio, aut in eius personam est actio criminalis: D, qui posteaquam ad Iudicem venerit adhibita aduocatione, ius debebit explorare quæsitum, hoc est interrogare, quare fuerit vocatus: E, itaut non est epistolis eorum credendum, qui quasi damnatos Reos ad Præsidem transmittunt: quia non omnes ex bona fide elogia conscribere compertum est. F.

C, arg. textus in l. 9. C. de iudicijs. D, l. 1. ff. de interrogat. action. E, l. 2. §. qui postea C. de exhiben. & transmitten. Reis. F, l. 6. ff. de custodia Reorum.

§. Olim enim Irenarchis præceptum fuerat, quod cum apprehendissent latrones interrogarent eos de socijs, & receptatoribus, & interrogationes literis inclusas, atque obsignatas ad cognitionem magistratus mitterent; & qui cum eo elogio, missi erant ex integro audiendi erant: & de ijs non quasi pro damnatis, sed quasi re integra quæritur, si quis erit, qui eos arguat; G, idcircò iubetur Iudices per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rerum rapinas, aut fœminarum raptus, aut alia quælibet in Prouincijs illicita committunt, & eis supplicia inferre. H.

G, d. l. 6. §. sed & caput ff. de custodia Reor. sup. lib. 1. tit. 4 §. quibus.

H, §. iubemus autem, Auth. de collatoribus.

§. Ac proindè audiuntur Rei, quia plurimum in excutienda veritate etiam ipsa voce cognitoris diligentia subtilis affert. Ex sermone enim, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione, quid diceret, vel cuius existimationis quisque in Ciuitate sua est, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. I.

I, l. 10. § tormenta vers. plurimum, ff. de quæstion.

§. Propterea ex hoc intédit Prætor adstringere Reum, vt ex sua coram eo facta responsione, vel confitendo; vel mentiendo se oneret. L.

L, l. 4. ff. de interrog. action.

§. Si verò interrogatus taceat, & omni-

M, l.11. §.qui tacuit, ff. eod. l.13. ff. de interrog. action. vbi glos. succurrendum.

N, l.58. §.seruum vers. quaero, ff. de aedilit. edicto.

nò non respondeat, contumax est, & habetur, quemadmodum si negasset; quia Praetorem contemnere videtur; M, si verò respondeat, an standum sit eius responso, & standum est, si alia indicia non praecedant. N.

TITVLVS VI.

De Criminis Contestatione:

A, l. cognitionum, ff. de varijs, & extraord. cognit.

B, l.17. C. de accusat.

C, arg. text. in l.1. C. de litis contestat. l.2. vers. nisi post, C. de iure iur. propter calumn.

D, l. 2. vers. quia negotium, C. si per vim glos. panduntur in fine,

E, l.22. §. vltimum vers. exordium, C. de falsis supra lib.1. tit.1. §. huius studij.

INTER caeteras causarum cognitiones, vna videtur esse, quando de capitali crimine quaeritur: A, vndè accusationis ordinem iam dudum legibus institutum, seruari oportet; vt quicumque in discrimen capitis accersitur non statim Reus, qui accusari potuit, existimetur; ne subiecta innocentia feriatur; B, idcircò crimen in iudicium deductum non videtur, si tantum de eo simplex informatio habita fuerit, vel delicti species ante iudicium, Reo ex eius examine in notionem venerit: oportet enim, quod ei illud contestetur, & Iudex per facti criminosi narrationem, & inquisiti responsionem causam audire caeperit: C, nam causarum sicut, & negotiorum merita partium assertione, per litis contestationem panduntur. D.

§. Ex auspicio enim contestatae accusationis, apud competentem Iudicem habitae, exordium vltimi finis strepitus criminalis nascetur, vt dictum est, quoniam post probationem, supplicium, quod exigit magnitudo commissi ei, qui crimen commiserit, imminet. E.

TI-

TITVLVS VII.

De Probationum Publicatione.

REO præsenti, contra quem facta est criminis indago exponi debent indicia, & copiam illorum, de quibus fuerit grauatus, vt facultatem habeat se ipsũ defendendi, tradi oportet: ideò non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, vt quod, & à quo sit dictum appareat, publicanda; nec non exceptiones, & replicationes legitimæ; ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum verò, exclusionem deponendi falsum, audacia præbeatur. A.

A, cap. qualiter, & quando §. debet igitur extra de accusat.

§. Nam is, apud quem res agitur acta publica criminalia exhiberi, suscipienda, ad melius inuestigandam veritatis fidem, iubere debet: B, quod si denegetur eorum publicatio supplicari potest, C.

B, l. 2. C. de edendo.

C, l. 2. C. vt lite pendente.

§. Ac proindè, qui semel produxerit testes, aut bis, aut ter, & testificata retractauerit, aut ab aduersario hoc faciente disputationem acceperit, & ex hoc testificata didicerit, licentiam vlterius, vti productione testium non habebit. D.

D, Auth. atqui semel, C. de probat. Auth. de testibus, §. quia verò multi.

TITVLVS VIII.

De legitimo Testium Examine.

QVONIAM qui in criminali causa suum separato præbuerint testimonium, & tamquam ante iudicium auditi fuerint: A, ne obijciatur eis, quod ab vna tantum parte gestum sit, oportet & illum, de quo sit quærimonia, ad-

A, l. 13. vers. suum præbent, C. de testibus.

admonitum a Iudice præsentem esse, & audire attestationes. B.

§. Igitur admonendus est semper Reus, vt ad audiendos testes veniat: C, & Iudices occasione testium examinandorum, alijs forsan locis degentium Reum ipsum, vel Procuratorem eius ibi destinare, vt depositionibus sub vtriusque partis præsentia factis, res, ad eos referatur: D, consonum enim est æquitati, quod examini testium, sicut & quæstioni Reus, Reaue interesse iubeantur; ac patroni eorum, & qui crimen detulerit, & patronis interrogandi facultas detur: E, Interrogatum testem nō solùm à Prætore accipere debemus, sed etiā a Reo vti ab aduersario. F.

§. Examen verò legitimum, aut repetitione, aut declaratione, aut confrontatione, fit: Repetitione siquidem, quæ supplet examen testium, post criminis contestationem fiendum, quocirca cum apud Iudicem testes non fuerint in figura iudicij producti, nec eorum depositionibus in Iudicio Fiscus deberet vti, & Reus illos recuset concedere; ideò testes si viuunt adduci oportet, vt iterum examinentur; G, atq; iterum iurare debeant, quia posset fieri, vt vel tunc, vel modo diuersæ sint fidei, vel calumnientur. H.

§. Declaratione, veluti quando reus concedit testes, iterum non adduci, & non opponit eis, quod iam testimonium suum dederint; I, omni aduersus eorum depositiones, & personas legitimo iure integro reseruato. L.

§. Confrontatione, quoties testes Reo præsente iureiurando contra eum testimonium confirmando dicunt: M, quoniam de vno quoque negotio, præsentibus omnibus quorum causa contigit iudicari oportet. N.

B, §. & hic verò, versf. vt ne, Auth. de testib. cap. in nomine Domini extra eod. vbi glos. præsentem.

C, cap. 2. §. ecce de testibus, vbi glos. admonendo.

D, l. 17. C. de fide instrumentor.

E, l. 27. §. quæstioni ff de adulterijs.

F, l. 9. §. interrogatum, ff. de interrog. action.

G, l. 19. C. de testibus.

H, arg. textus in l. qui bona, § si quis stipulatus, ff. de damno infecto,

I, l. 19. C. de testibus.

L, d. l. cum apud C. de testibus arg. cap. præsentium 31. extra eod.

M, cap. in primis vers. deindè 2. q. 1.

N, l. de vnoquoque ff. de re iudicata.

TI-

TITVLVS IX.

De Reorum Defensionibus.

DEFENSIONVM facultas danda est ijs, quibus aliquam inquietudinem Fiscus infert: A, quia Iudex non minus accusatorem, ad docenda quæ detulit, quàm Reum ad purganda quæ negat debet vrgere. B, Exhibitus enim Reus, aduocato adhibito se defendit, & pari iure cum accusatore vtitur: C, idcircò Præsidem cognitu rum de criminibus, oportet ante diem palam facere custodias, idest Reos carceratos se auditurum: D, vt auditis allegationibus, ac perquisita veritate pronunciari possit: E, ne ij, qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur: F, sed auditis eorum defensionibus, Iudex id, quod iuris ratio exegerit, iudicare valeat: G, cum verisimile non sit eum, qui arguitur de causa capitali, non ex fide causam suam defensurum, cum periculum capitis subeat. H.

Quocirca qui deceptus est per alium, si suã innocentiam probat, & eum, à quo accipit rem aliquam, puta rescriptum falsum, vel rem furatam exhibet, se liberat nullo recuperato pretio, si illam emisset, quia vitium coheret rei furatæ, ideò etiam emptori nocet. I.

§. Atque etiam vbicumque absens quis damnari potest, ibi quemuis verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem audiri æquum est; L tamen per Procuratorem agi non licet: M, sed excusationes absentium Iudicibus allegantur, & si iustam rationem habent sententia differtur. N.

§. Sed scire oportet, quod defensionum aliæ

A, l. 7. C. de iure Fisci lib. 10.

B, l. 3. §. quando in fine vers. in quibus, C. de abolit.

C, l. penult. C. de postulan. l. vlt. C. de fructib. & litis expen. l. in sacris §. vlt. C. de prox. sac. scrin.

D, l. 18. §. cogniturum, ff. de quæstion.

E, Auth. qui semel, §. quod si vocatus, C. quom. & quando.

F, d. l. 18. §. cogniturum ff. de quæst.

G, l. 8. in fine, C. quom. & quando.

H, l. 1. vers. neque enim, C. de falsis.

I, l. 4. vers. sed qui C. de falsis, l. in ciuilem, C. de furtis; l. 4. §. de auctoris, vers & per hoc ff. de doli mali excep.

L, l. 33. §. publicè, vers. vbicumq; ff. de Procuratoribus.

M, l. 1. vers. sin autem, ff. an per aliũ causæ appell. reddi possunt.

N, l. 13. §. ad crimen, ff. de pub. iud. l. 3. C. de accusat. supra tit. 4. §. insuper, vers. tamen.

aliæ perimunt, aliæ retardant processum: quæ perimunt, illæ sunt, quæ vltra non patiuntur accusatorem tergiuersari; & sic delicti perimunt disceptationem: O, veluti si infans, vel furiosus hominem occiderit; lege Cornelia non tenetur: cum alterum innocentia consilij tueatur, alterum fati infelicitas excusat. P.

O, l. 70. ff. de iudicijs

P, l. 12. ff. de siccarijs.

§. Pariter Impuberem in edictum falsi incidere dicendum non est, quoniam falsi crimine vix potuit teneri, cum dolus malus in eam ætatem non cadat. Q.

Q, l. 22. C. de fals.

§. Quæ verò retardant, illæ sunt, quæ morantur processum; veluti exceptiones præiudiciales: quoniam si crimen aliquod inferatur ei mulieri, quàm ingenuam esse dicis; antequam liberalis causa suo ordine agi debet, cognitionem suam Præside præbente: quoniam necesse est ante sciri, si delictum probatum fuerit, verum vt in liberam, & ingenuam, aut in ancillam constitui oporteat iudicium: R, idem est, quoties de re familiari, & si ciuilis, & criminalis competat actio: vtraque licere experiri, siuè prius criminalis, siuè ciuilis actio moueatur: ne si ciuiliter fuerit actum, criminale posse consumi, & similiter è contrario. S.

R, l. 3, C. de ord. cogn.

S, l. vnica, C. quando ciuilis actio.

§. Quo in genere habetur furti actio, & legis Flauiæ constitutio, & plurima alia sunt quæ numerari non possunt, vt cum altera prius intentata, per alteram, quæ supersit iudicatum, liceat retractari. T,

T, l. vnica, §. quò in genere, C. eod.

§. Dubitari aliquando contingit an defensionibus renunciari possit; & Reum sine defensionibus condemnari; & dicendum, quod si non defendatur, non vtique ad supplicium deducitur; sed permittitur eum defendi ab alio, & Iudex, qui cognoscit debebit de in-

no-

nocentia eius quærere; V, aut ei terminum ad illas faciendas assignare; quod si passus fuerit diem defensionis agnoscendæ sibi datum transire; X, & sic post longum temporis spatium, Z, & non se defenderit; perindè erit, ac si illas renunciasset, nisi fortè casibus quibusdam detentus fuerit, propter quos venia dignus sit; AA, vt ad illas faciendas restituatur. BB,

V, *l. 19. ff. de pœnit.*

X, *l. 63. §. si quis bonorum, ff. ad Trebell.*

Z, *l. 2. in fine ff. de custodia Reorum.*

AA, *arg. textus in l. 3. §. si ad diem, ff. de re militari.*

BB, *arg. textus in cap. pastoralis 4. de except.*

TITVLVS X.

De Criminalis causæ discussione.

POST completas Reorum defensiones, & antequam quæstionis fiat indago; de criminalis causæ meritis discutiendum est: ideò Iudex, qui disceptationis locum dederat, partium allegationes audire, & examinare debet: A, & cum huiusmodi discussio ex varijs considerationibus descendere possit, in genera facilè diuidi non valet; idcircò sũmatim diuidi oportet: igitur discussio ista, in quatuor ferè inspectiones distingui potest, aut enim circa ipsum delictum, aut circa causam delinquendi, aut circa personas, aut circa probationes versari videtur; nam cum magno conflictu sententia decerni solet: præhabita semper Fisci, & Rei iurium examinatione; ea enim temerè definiri fas non est. B.

A, *l. 5. C. commi-nationes epistolarũ.*

B, *l. 7. C. eod. vbi glos. supra lib. 1. tit. 3. §. vltra personas,*

§. Quoad delictum inspici oportet, si sit de Iudicis iurisdictione; nam quidam cognoscit de incendiarijs, effractoribus, furibus raptoribus, & receptatoribus, vt olim Præfectus vigilum cognoscebat; nisi tamen tàm atrox,

tamq;

C, *l.3.§.cognoscit, ff.de officio Praefect. vigilum.*

tamque famosa sit persona, vt magistratui superiori, prout olim erat Praefectus vrbis, remitti debeat. C.

D, *l. dolum C. de dolo malo.*

E, *l.tutor,§.qui ob segnitiem,ff. de suspect. tutor.*

§. Item si delictum sit verè delictum, hoc est dolo commissum, quem dolum ex indicijs saltem perspicuis oportet esse probatũ, D, vel si sit quasi delictum, hoc est culpa patratũ, D, nimirùm quando quis ob segnitiem, vel rusticitatem, vel inertiam deliquit: E, puta in Iudice, qui v. g. litem suam fecerit, non propriè ex maleficio obligatus videtur, sed quia nec etiã ex contractu obligatus est; & vtique peccasse aliquid intelligitur (licet per imprudentiam:) ideò videtur quasi ex maleficio teneri in factum actione, & in quantum de ea re equum, religioni iudicantis fuerit visum, pœnam sustinebit. F.

F, *l.6. ff.de varijs, & extraord.crim.*

G, *l.15.l.16. ff.de siccarijs.*

§. Sed ille verè delinquit, qui sponte doloue malo delinquit, & nihil interest delinquat quis an causam delinquendi praebeat. G.

H, *l.17.ff.de legationibus.*

I, *l. sanctum ff. de rerum diuis.*

Item si quis legatum hostium pulsauerit contra ius gentium id commissum existimari oportet; quia sancti habentur legati: H, & ab iniurijs hominum defensi, atque muniti sunt. I.

L, *l.5.§. refert.ff. de pœnis.*

§. Refert etiam cognoscere, an in maioribus delictis consultò aliquid admissum sit, an casu, & sanè sicut in omnibus criminibus distinctio haec pœnam, aut iustam eligere debet, aut temperamentum admittere: L, ita quaestiones desiderari non debent, nisi cum capitalia, & atrociora maleficia alitèr explorari, & inuestigari non possint. M.

M, *l.8. vers. quaestiones ff. de quaest.*

§. Quoad causam constat praeualere ad quaestionis discussionem; nam in omni, & quocumque crimine in iudicio deducto, inspici in primis oportet de causa, propter quam delictum patratum fuerit; quia ratio na-

naturalis suadet, quem non delinquere sine causa, N, & pro causa huiusmodi, ferè, alle- gari solet inimicitia, & præcipuè si fuerit capitalis, vel grauissima, O, vel si in inhonestis factis, aut in ipsa turpitudine pater deprehenderit filiam, P, vel si alteri causam mortis præbeat, Q, vel si rectè possidens ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenet, inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulsauerit, R, vel si furem nocturnum quis occiderit, ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit, S, & aliæ huiusmodi, quas longum esset inserere.

N, arg. textus in l. 8. §. in causa, ff. de transact.

O, arg. text. in l. 3. §. non solù, ff. de adimen. leg.

P, l. 23. vers. si in ipsa ff. de adulterijs.

Q, l. 15. ff. de sicarijs.

R, l. 1. C. vnde vi.

S, l. 9. ff. de siccarijs.

§. Item si à barbaris remissi sint milites, ita restitui eos oportet, si probatum sit, se captos euasisse, non transfugisse; sed licet hoc liquidò constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est, & si bonus miles antè existimatus fuerit, propè est, vt affirmationi ei credatur. T.

T, l. 10. §. à barbaris, ff. de re milit.

§. Nec exemplum editionis precum alitèr per errorem scriptum; cum nisi dolo malo falsum committentes, crimini subiugentur, cognitionem dati Iudicis moratur. V.

V, l. 20. C. de falsis.

§. Quoad probationum sufficientiam, inspiciendum est, si delictum probatum fuerit, vt dictum est, quod satis erit, si saltem argumentis verisimilibus, & probabilibus, quis fuerit grauatus, vt dictum est, & si his veluti certis inditijs ducti Iudices inuestigandæ veritatis gratia, ad tormenta putauerint esse veniendum: tunc id facere debebunt, si personarum conditio patiatur: X, sed semper id sequantur Iudices, quod conuenit eos ex fide eorum, quæ probantur. Z.

X, l. 8. §. oportet, C. de quæst.

Z, l. 6. §. veritas, ff. de officio Præsidis.

§. Indicia certa esse debent, quæ iure non respuantur, AA, & testibus idoneis compro-

AA, l. 19. C. de rè iud.

bata; idonei autem testes, non videntur esse illi, quibus imperari potest vt testes fiãt; BB, ac proindè testium fides diligentèr examinanda est; nedum circa dicta, quoniam si aduersus fidem testationis suæ vacillent, audiendi non sunt; CC, sed etiam circa personas eorum, in quibus exploranda erit conditio cuiusqs vtrum quis Decurio, an plebeius sit, & an honestæ, & inculpatæ vitæ, an verò notatus quis, & reprehensibilis, & an locuples, an egens sit, vel lucri causa quid facilè admittat, vel an inimicus sit aduersus quem testimonium fert, vel amicus ei sit; nam si caret suspicione testimonium, vel propter personam à qua fertur, quod honesta sit, neque gratiæ, neque inimicitiæ causa sit, admittendus est. DD.

BB, *l. 6. ff. de Testibus.*

CC, *l. 2. ff. eod.*

DD, *l. 3. ff. eod.*

§. Ideòque qui iudicat magis scire potest quanta fides habenda sit testibus, qui, & cuius dignitatis, & cuius existimationis sint, & qui simplicitèr visi sint dicere, vtrum vnum, eumdemq; meditatum sermonem attulerint, an ad ea, de quibus interrogati ex tempore verisimilia responderint. EE.

EE, *d. l. 3. §. ideoq; ff. eod.*

§. Quoad personas inspiciendum est, an delinquens fuerit minoris ætatis, quoniam licet minoribus in contractibus captis dumtaxat subueniatur; tamen dubitatur, an etiam delinquentibus, vt puta si dolo malo aliquid fecerint in re deposita, vel commodata, vel alias in contractu eis subueniatur, & placet in delictis ex animo prouenientibus, FF, eisdem non subueniri, neq; iuuari, vt dictum est: GG. ideò si minor furtum fecerit, vel damnum, iniuria dederit, & si adulterium commiserit, non subuenitur ei. HH.

FF, *l. 10. §. nunc ff. de minoribus, l. 1. C. si aduersus delictum, l. 1. l. si quis, C. de sicarijs.*

GG, *supra lib. 1. tit. 6. §. in criminalibus.*

HH, *l. 10. §. nunc viden. & §. si mulier in fine ff. de minor.*

§. De furiosis autem illud attendendum est, quod si liquidò compertum sit, eos in eo fu-

rore

rore esse, vt continua mentis alienatione omni intellectu careant, nec subest vlla suspicio ab eis simulatione dementiæ delictum patratum fuisse; potest de modo pœnæ eorũ dissimulare, cum satis furore ipso puniantur. Si verò (vt plerumq: assolet) interuallis quibusdam sensu saniores sint, num fortè eo momento scelus admiserint, nec morbo eorum danda sit venia, diligentèr Iudex explorabit, & si quid tale compererit, Principem consulat, vt æstimet, an pro immanitate facinoris supplicio afficiendi sint. II.

II, *l.* 14. *ff. de offic. Præsid.*

§. Si verò delinquentes aliqua dignitate sint prædit, & in aliqua culpa, seu crimine fuerint deprehensi, & eis criminis quæstio mota sit dignitatis honore seposito, publicis legibus subiugentur, & quæstioni etiam (si ita poposcerit causa) subdi possunt; omnem enim honorem reatus excludit. LL.

LL, *l.* 21. *vers. si falsi quæstio, C. de falsis, l.* 1. *C. vbi Senatores, &c.*

TITVLVS XI.

De Quæstionibus:

QVAMVIS quæstio sic accipiatur, vt non tormenta tantùm significet; sed etiam omnem inquisitionem, & defensionem connotet: A, tamen quæstionem intelligere debemus tormenta, & corporis dolorem, ad eruendam veritatem; ac proindè nuda interrogatio, vel leuis territio non pertinet ad hunc titulum: B, nam leuis tortura habetur pro non tortura. C.

A, *l.* 1. §. *item illud ver. quæstionem autem, ff. ad Syllanianum.*

B, *l.* 15. §. *quæstionem, ff. de iniurijs.*

C, *l.* 4. §. *fin. ff. de ædilitio edicto.*

§. Quæ quidem tormenta inferri non debent; nisi primum præstita fuerint ex scelere argumenta, vt videantur accedere ad verisimilia causæ crimina: D, quamuis etiam ea, quæ sunt difficilis probationis, publica quæ-

D, *l.* 3. *C. de quæstionibus.*

E, l. 6. ff. de iniurijs.
F, l. 1. ff de quaestion. l. 8 §. oportet, C. eod.
G, l. 5. ff. eod.
H, l. 10. ff eod. l. 15 §, de minore ff. eod.
I, l. 17. vers idemq; C. de quaestion. l. vltima ff. de Decurionibus.
L, l. 18. §. seruus, ff. eod.
M, l. 22. ff. de quaestion.
N, l. 2. vers. sunt, ff. eod.
O, l. 18. ff. eod.
P, l. 1. §. idem Diuus, ff. eod.
Q, l. 16. ff. eod.
R, d. l. 16. §. Diuus
S, l. 4. §. hostes in fine, ff. de poenis.
T, l. 7. ff. de quaestion.

quaestione vendicari oporteat. E.

§. Idcircò oportet Iudices, nec in his criminibus, quae publicorum iudiciorum sunt ad inuestigationem veritatis à tormentis initium sumere: F, nec omnes indistinctè eis subijciant: G, nam de minore quatuordecim annis quaestio habenda non est, maximè cum nullis extrinsecus argumentis accusatio impleatur, nec tamen consequens est, vt etiam sine tormentis eidem credatur, nam aetas, quae aduersus asperitatem quaestionis eos interim tueri videtur, suspectiores quoque eosdem facit ad mentiendi facilitatem. H.

Idemq; si munera Decurionatus, quis deposuerit: nàm & ipse proptèr pristinam dignitatem quaestionem non patitur: I, sic etiam seruus in eius caput à quo distractus est, cuiq; aliquando seruiuit, in memoriam prioris domini interrogari non potest. L.

§. Paritèr, qui sine accusatoribus in custodiam recepti sunt, quaestio de eis habenda non est, nisi aliquibus suspicionibus vrgeantur: M, & testimonium vnius hominis admitti non debet. N.

§. Et quando vnius facinoris plurimi Rei ita audiendi sunt, hoc est torquendi; vt ab eo primum incipiatur, qui timidior, vel tenerae aetatis est: O, immò à suspectis incipiendum est, & à quo facillimè posse verum sciri, Iudex crediderit. P.

§. Repeti aliquãdo quaestionẽ oportet, Q, & hoc quando Reus euidentioribus argumentis oppressus sit; maximè si in tormentis animus, corpusq; durauerit; R, nam plerique dum torquentur deficere solent. S.

§. Sed quaestionem ita haberi oportet, vt Reus saluus sit, vel innocentiae, vel supplicio: T, quocirca tormenta habenda sunt, non

non quanta accuſator poſtulat; ſed vt moderatæ rationis temperamenta deſiderant: V, ideò quæſtionis modum Iudices arbitrari oportet. X,

V, *l.10. §.tormenta, ff. eod.*

X, *l. 7. ff.eod.*

§. Effectus huius quæſtionis non vnus eſt; nam ſi ea Rei conditio ſit, vt arenarium teſtem, vel ſimilem perſonam contra eum admittere in teſtem cogamur, ſine tormentis teſtimonio eius credendum nõ eſt: Z, teſtes enim torquendi non ſunt, conuincendi mendacij, aut veritatis gratia; niſi cum facto interueniſſe dicantur. AA.

Z, *l.21. §.ſi eo, ff. de teſtibus.*

AA, *l.18. §.teſtes, ff. de quæſtion.*

§. Cum autem Reus quæſtioni addictus eſt, interrogandus eſt; ſed non ſpecialitèr, an ſcilicet homicidium fecerit: ſed generalitèr quis id fecerit: alterum magis ſuggeſtientis, quam requirentis videtur. BB.

BB, *l.1. §.qui quæſtionem, ff.eod.arg. textus in l.iubemus, C.de teſtamen.*

§. Sicut nec de ſocio criminis interrogandus eſt: neminem enim de proprio crimine confeſſum, ſuper cõſcientia ſcrutari oportet aliena; CC, niſi in caſibus, in quibus præcedat præſumptio, & propter immanitatem criminis: DD, veluti in latronibus, nam latrones, vt dictum eſt, EE, cum apprehenſi fuerint de ſocijs, ac receptatoribus interrogãdi ſunt: FF, & in monetarijs, & ratio eſt in illis, ne differatur ſceleratorum proditio conſiliorum, quæ per latronũ tormenta quærenda eſt: GG, & vt in iſtis facti conſcij propter tormenta prodantur: HH, quamuis etiam quæſtionis habendæ cauſa ad exhibendum ex delictis ſeruorum, ad indicandos conſcios ſuos, agatur. II.

CC, *l.17. §.nemo, C. de accuſat.*

DD, *gloſ.conſcientia in d.§.nemo.*

EE, *ſupra tit. 5. §. olim hoc 3.lib.*

FF, *l.6.ff.de cuſtodia Reorum.*

GG, *l.9.C.de ſeruis.*

HH, *l.1. C.de falſa moneta.*

II, *l.20.ff.ad exhibendum.*

TITVLVS XII.

Quibus Personis inferenda sit Quæstio.

CVM genera tormentorum varia sint nã Rei, aut fidiculis, aut verberibus, aut igne, aut vigilijs excruciari possũt, ita vario modo in personas torméta adhibentur; quoniã quæstiones, neq; semper, neq; in omni causa; & persona desiderari oporret, sed cum capitalia, & atrociora maleficia sint quæ non alitèr explorari, & inuestigari possunt, quàm per tormenta igitur efficacissima ea ad inquirendam veritatem esse debent, A, & vt hæc haberi possint seruanda est personarum conditio, nam excipiuntur quidam quominus torqueri possint, nonnulli enim propter ætatem, siuè imbecillem, siuè decrepitam, alij propter sexum, alij propter valetudinem.

A, *l. 8. ff. de quæstion.*

§. Propter ætatem; veluti in impuberibus, sicut eis in supplicio parcitur, ita nec quæstio de illis habetur, & solet hoc in vsu obseruari, vt isti impuberes non torqueantur, terreri tamen solent habena, vel ferula cædi. B.

B, *l. 1. §. impuberi, ff. ad Syllanian.*

§. Propter ætatem verò decrepitam ignoscitur etiam ijs, qui ætate defecti sunt, hi enim bis pueri sunt, & imbeciltitate virium facilè tormentis succumberent. C.

C, *l. 3. §. ignoscitur, ff. ad Syllan.*

§. Propter sexũ, vt sunt mulieres prægnantes quæstio de ijs quamdiù prægnantes sunt non habetur, neç diuersum erit, quamuis differendæ torturæ causa consulto ex adulterio conceperint, immò post partum editum moribus introductum est intra quadraginta dies tor-

torqueri non soleant, quia adhuc debiles sunt. D.

D, *l. 3. ff. de pœnis.*

§. Propter valetudinem, vt infirmi, & valetudinarij, qui non temerè sunt torquendi, ne quæstionis modus excedatur, quæstionis enim modus Iudices arbitrari oportet. E.

E, *l. 7. ff. de quæstion.*

§. Alij quoq; à quæstione liberantur veluti si quis conterritus aduentu latronum vulneratus fuerit, & seruorum suorum purgauerit officium, nec pietas pro seruis torquendis, nec sollicitudo, quæ cogit hæredem testatoris vindicare necem, obtinere debet, vt ad pœnam vocentur, quos ipse vulneratus testator absoluit. F, nisi aliundè noxij probentur. Remissio enim vulnerati, eiusq; testimonium in præiudicium iuris publici non attenditur, quia ius publicum priuatorum pactis mutari non potest. G.

F, *l. 2. ff. ad Syllanian.*

G, *l. 39. ff. de pactis.*

§. In seruis verò quæstio haberi oportet, tàm in criminalibus, quàm in pecuniarijs causis, sed hoc ita est, vt non facilè in re pecuniaria quæstio habeatur, sed si alitèr veritas inueniri non possit, nisi per tormenta licet habere quæstionem, H, in liberis autem hominibus, non nisi in criminalibus quæstio haberi oportet. I.

H, *l. 9. ff. de quæstion.*

I, *d. l. 9. §. Deo verʃ. ʃed nec.*

§. Sciendum tamen est, quòd Iudex ad pœnam respicere debet, vt si tormentis grauior ea futura sit, adhibeat quæstionem, sin minus, sed eam superaturus sit fidicularum cruciatus, Reum aculeo non imponat. Non enim cum eo nondum conuicto grauius est agendum, quam cum conuicto ageremus, quocirca torturæ locus non videtur, nisi pœna pro delicto corporalis futura sit. L.

L, *arg. text. in d. l. edictū 8. ff. de quæstionibus.*

TITVLVS XIII.

Quibus indicijs ad quæstionem deueniri possit.

QVOTIES de delicto inquirendo tractatur si alijs probationibus veritas illuminari non possit, de se ipsi Rei cum tormẽtis interrogãdi sunt, A, & hoc optimè fit, si prius præstita fuerint ex scelere argumenta, vt videantur accedere ad verisimilia causæ crimina. B

§. Indicia, seu argumenta non vnum, sed plura saltem desiderantur, vt quæstio inferri possit, nam iura in plurali numero de indicijs disponunt, & sic hæc pluralis elocutio duorum numero contenta est; C, & ratio euidens est, quia vnicum indicium nimis temeritati casus obnoxium est, & tortura res periculosa est, vt dictum est. D.

§. Ideòque indicia probari debent, nec vbi numerus testium adijcitur, duo planè testes habiles sufficere credendum est. E.

§. Hinc solum dictum vulnerati non sufficere ad torturam, quia testimonium non modo vnius est, sed in propria etiam causa dicit. F.

§. Fama licet à cognatis, & fide dignis originem traxerit ad torturam indicium sufficiens non est, quia origo ei sæpè ab errore, vel maleuolentia, incrementum à credulitate hominum ad deteriora prona: nisi cum fuga coniuncta sit, hinc est, quod lex Cornelia cauetur de premio accusatoris, qui requisiuit, & renunciauit eos seruos, qui ex familia ante quæstionem fugerint. G.

A, *l. quoties, C. de quæstion.*

B, *l. 3. C. eod.*

C, *l. 12. ff. de testib. l. 1 §. idem, ibi sed argumentis, l. vnius §. Reus ibi euidentioribus, ff. de quæst. l. 3. ibi scelere argumenta, l. 8. §. oportet ibi publicorum iudiciorũ, C. de quæstion.*

D, *l. 1. §. quæstioni ff. de quæstion.*

E, *l. vbi ff. de testibus.*

F, *l. 3. §. si quis ff. ad Syllan.*

G, *l. lege Cornelia, ff. ad Syllanian.*

Con-

§. Confessio quoque extra iudicium facta, nec ipsa sola ad quæstionem sufficit, nisi persona, & accusata circumstantiarum expositio, verisimilem faciant narrationem, quia tantummodò ad probationes litigatoribus sufficiunt ea, quæ ab aduersa parte expressa fuerunt apud Iudices. H.

§. Nec est sufficiens indicium ad torturam, quod res furtiua reperiatur apud eum, qui auctorem laudare non potest, ideò nisi rubor Rei, aut pallor, aut titubatio, aut simile quidpiam accedat nequaquam torquendus est. Nec minus quæstioni locus est in eo, qui repente diues factus est, alijs autem indicijs comprobari oportet, nam quod neq; ipse, neque Vxor quicquam ante, puta, administrationem habuerunt non idoneum huius continet indicium. I,

H, l. 1. §. interrogatoriis, vers. & tantummodo, ff. de interrog. act.

I, l. si defunctus, vers. debitum, C. arbitrium tutelæ.

TITVLVS XIV.

De Reo in Tortura confesso.

CONFESSIONES Reorum in tormentis habitæ pro exploratis facinoribus haberi non oportet, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat: A, quoniam sicut si quis vltro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est; nonnumquam enim, aut metu, aut aliqua alia de causa in se confitetur; B, ita cùm in tormentis de ea constiterit: nam potest in ea Reus de se temerè esse confessus; C, perseuerantia enim requiritur, quia quæstionis habendæ causa, nemo est damnandus, hoc est confessus in tormentis non damnatur: D, nam quidquid vi tormentorum dicitur, non prius ratum est, quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse: E; atque ita postmodum apud acta audiatur

A, l. 1. §. Diuus Seuerus ff. de quæstion.

B, l. 1. §. si quis vltro, ff. eod. arg. tex. in l. 7. ff. quod falso tutore ibi quid si compulsus.

C, arg. d. §. si quis vltro.

D, l. 21. ff. eod.

E, arg. textus in l. 3. ff. de diuort. & l. 49. ff. de reg. iur.

tur; vt ibi quasi sub publico testimonio commemoratio admissi criminis fiat; atque etiam Iudicibus immodicè seuientibus, fræni quædam temperies adhibita videatur. F.

F, *l.2. vers. atq; ita C. de custodia Reor.*

§. Quæstioni enim fidem non semper, nec tamen numquam habendam declaratum est: etenim res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientia, seù duritia tormentorum, ita torméta contemnũt, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit: alij tãta sunt impatientia, vt in quouis potiùs mentiri, quàm pati tormenta velint; & ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, verùm etiam alios criminentur. G.

G, *l.1. §. quæstioni, ff. de quæstionibus.*

§. Quod si apud acta confessionem tormentis habitam reuocet; rediri ad æquuleum potest, & si pluries fidibus Reus examinatus confiteatur; postea solutus identidem reuocet, necesse erit tandem ad absolutionem peruenire; satius enim est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. H.

H, *l.5. ff. de pœnis.*

§. Quæritur si Reus fuerit confessus, vel conuictus de delicto, puta homicidio, & qua de causa id commiserit non constet, an in quæstionem repeti possit, & dicendum posse: nam noxa interrogatur, quo mandante flagitium admissum sit, I, quod & idem dicendum est de ratificante, qui in delictis tenetur, quia satis sibi videtur quæsitum, cum voluntatem suam compleuerit. L.

I, *l.17. ff. ad Sylanian.*

L, *cap. cum quis 23. de sententia excomun. in 6.*

Finis Libri Tertij.

INSTITVTIONVM CRIMINALIVM LIBER QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Reo confesso, & conuicto.

SVPERIORI libro de ijs, quæ ad cognitionem causæ spectant dictum est: modò de ijs, quæ ad animaduersionem pertinent, videndum est. Animaduersio enim de mero imperio est, cùm sit potestas gladij in facinorosos homines confessos, vel conuictos: A, de confessis sciri oportet, alios esse, qui vltrò, alios, qui vi tormentorum maleficium confitentur. B.

A, *l. 3. ff. de iurisdict. omn. Iud.*

B, *l. 1. §. si quis vltro, ff de quæstion.*

§. Qui vltro, sunt illi, qui voce propria vitium, scelusq; confitentur; C, quorum tamen confessioni non semper fides habenda est, vt dictum est; D, nam aliquando post damnationem de innocentia constitisse compertum est; vt puta in seruo illo, qui homicidium in se confingere metu ad dominum reuertendi falsus fuit, & perseuerante falsa demonstratione damnatus est. E.

C, *l. 2. C. quorum appellat. non recip.*

D, *supra lib. 3. tit. 12. §. primo.*

E, *d. l. 1. §. si quis vltro ff. de quæstio.*

§. Idem etiam de ijs qui dum de socijs in crimine metuunt, ne fortè apprehensi eos nominent, prodere eos solent, scilicet, impunitatem sibi captantes, F.

F, *d. l. 1. §. cum quis vers. plerique, ff. eod.*

§. Quod non ita cum eo proceditur cum

quo lege Aquilia agitur; si enim is confessus sit, se seruum occidisse, licet non occiderit, si tamen occisus sit homo ex confessione tenetur; G, quia confessionibus falsis respondentes, ita obligantur, si eius nomine, de quo quis interrogatus est, cũ aliquo actio sit, quia quæ cum alio actio esset, si dominus esset, in nos metipsos confessione nostra conferimus. H.

G, l. 4, ff. de confessis.

H, l. 14. ff. de interrog. act. l. 21. ff. eod.

§. Et cum in iure confessi pro iudicatis haberi placuit, & suis confessionibus acquiescere debeant, idcircò sine causa ab eorum confessione recedi eis non est concessum: I, nimis enim indignum videtur, vt quod sua quisque voce dilucida protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioquẽ proprio resistere; L, nisi certè è contrariò, per apertissima argumenta scriptis inserta, religionem Iudicis possit instruere. M.

I, l, vnica, C. de confess.

L, l. 13. C. de non numerata pecunia, vers. nimis enim.

M, d. l. 13.

§. Licere igitur confitenti pœnitere ius admittit si iusto errore ductus se esse delinquentem negauerit, nam venia dignus est, & præcipuè si nulla captio ex eius pœnitentia sit Fisci, aut accusatoris, N, veluti si quis hominem viuum falsò confiteatur occidisse, & postea paratus sit ostendere dictum hominem esse viuum, O, æquissimum enim est, ei succurri; nam ea, quæ postea emergunt, auxilio indigent; P, & hoc si post litis contestationem asseuerauerit, quia ante iudicium acceptum non decipit Fiscum, seu accusatorẽ. Q,

N, l. 12. §. qui iusto, & §. Celsus, ff. de interrog. act.

O, l. 23. §. si quis hominem, ff. ad l. Aquil.

P, l. 12. §. ex causa vers. id quidem, ff. de interrog. act.

Q, l. 26. ff. de rei vin. vers. cæterum.

§. Qui autem coactè confitentur sunt ij, qui vel in tormentis, vel illorum territione, se Reos manifestant; coactio enim non stat in solis verbis, R, nec his etiam fides semper haberi debet; nã sicuti conuictis, confessisq; ad societatem scelerum vocantibus eos, à quibus apprehensi, custoditiue sunt, facilè cre-

R, glossa per metũ in can. 1. 15. q. 6.

credi non oportet; ita si euidentibus rationibus post commissum communitèr facinus, ad euitandam de se sententiam, id fecisse fuerint probati, publicæ vindictæ non sunt subtrahendi. S.

S, *l. sicuti C. de quæstion.*

§. De conuictis verò dicendum est esse illos, qui idoneis testibus superati sunt: T, ideò ad conuincendum criminosum acerrima fieri debet indago: non tantùm testibus, sed etiam argumentis, atque scripturarum collatione, alijsq; vestigijs veritatis, vt dictum est. V.

T, *l.2. C. quorum appell.l.qui sententiam, C.de pœnis.*

V, *l.22.C. de falsis supra lib.1.tit.1.§.1*

§. Et si quis de ea culpa, vel crimine fuerit conuictus, quo dignus claustris carceris, & custodiæ squalore videatur, X, tunc, aut velox pœna illum subducat, aut liberandus; ne custodia diuturna illum maceret. Z.

X, *l.2.C.de custodia Reorum.*

Z, *l. 5. C. eod.*

§. Caueant igitur Iudices contra criminosum discutientes, non antè sententiam proferant capitalem, quam aut Reum se ipsum confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur, AA, aut saltem crimen ita publicum sit, vt meritò debeat appellari notoriũ; quo casu, nec testis, nec accusator est necessarius; cum huiusmodi crimen nulla possit tergiuersatione celari. BB.

AA, *can.2. 2. q.1.*

BB, *cap.tua nos de cobabit.Clericorum.*

§. Verùm qui sententiam laturus est temperamentum hoc tenere debet; vt non prius capitalẽ in quempiam supradictorum promat sententiam, quam v.g. in adulterij, vel maleficij crimen, aut sua confessione, aut certè omnium, qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in vnum conspirantes, concordantesq; rei finem conuictus sit, & sit in obiecto flagitio deprehensus sit; vt vix etiam ipse ea, quæ commisit, negare sufficiat. CC.

CC, *l. qui sententiam, C. de pœnis.*

TITVLVS II.

De Relationibus Principi faciendis.

ALIQVANDO, antequam sententia proferatur opus est, vt Principi, aut alteri superiori Magistratui causa referatur; quo casu, si quis Iudicũ duxerit referendum, nihil inter partes pronunciet, sed magis super quo hæsitandum putauerit, Principem, vel Superiorem Magistratum consulat, sciendum. A.

A, *l.* 1. *C. hoc tit.*

§. Quoties autem ad Principis, aut maioris Magistratus scientiam Iudex polliceatur relaturum, consultationis exemplum partibus illico edi apud acta iubeat; vt si cui fortè relatio minus plena, vel contraria videatur in refutatorias preces similitèr apud acta, sine aliqua frustratoria dilatione offerat. B.

B, *d. l.* 1. §. *quoties, C. hoc tit.*

§. Nam super delictis numquam ad scientiam Principis est referendum, nisi priùs editum fuerit consultationis exemplum, vt dictum est: quippè tunc relationibus plena veritas est, cum vel allegationibus repelluntur, vel probantur assensu. C.

C, *l.* 2. *C. hoc tit.*

§. Ac proindè ad Principem non mittitur aliquid, quod plena instructione indigeat. D.

D *l.* 1. §. *sed nec C. hoc tit.*

§. Hinc est, quod Iudicibus de iure dubitãtibus, Præsides respondere solent, sed de facto consulentibus non debent Præsules consilium impartire, verùm iubere eos, prout Religio suggerit, sententiam proferre: hæc enim res nonnunquam infamat, & materiam gratiæ vel ambitionis tribuit. E.

E, *l.* 79. §. *Iudicibus, ff. de Iudicijs.*

TI-

TITVLVS III.

De Sententia.

CAVSA perfectè examinata, tandem per sententiam terminatur, quæ postea executioni legitimæ demandatur; nisi ab ea fuerit appellatum. A.

A, auth. nouo iure C. de appellat.

§. Igitur cum Reis præsentibus manifesta probatione conuictis, spatium temporis antè sententiam datur facultas supplicandi, vel quibusdam malignis artibus, tàm Præsidum, quã officialium pœnas euitãdi criminosissimis patet, cum & in homicidij crimine, & in alijs detectis grauioribus causis, vltio differenda nõ sit: ac proindè iuxta criminis qualitatem, legem oportet seruare, & in scelerosos, & noxios proferri iuris sententiam. B.

B, l. 18. C. de pœnis.

§. In criminalibus enim, sicut etiam in ciuilibus illud Iudex obseruare debet, ne alitèr iudicat, quàm legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. C, Ideoq; nec tamen subitas, sed deliberatione habita, post negotium, sententias ponderatas ante formentment, & emendatas statim libellum confectant, scriptasq; in libello Reis legant. D.

C, §. 1. Instit. de officio Iudicis.

D, l. hac lege C. de sententijs, ex peric. recit.

§. Et si Reus administrator fuerit, ipsius præsentiæ potestas ei dabitur, vt rationes per eum administratæ reddantur, ac disponantur; sed meminisse creditorem oportebit instare, vt id velociùs fiat, vt pœnæ suæ reddi possit. E.

E, l. 1. §. ipsius C. de bonis proscrip.

§. De Reis verò absentibus implera iuris solemnitate, trinis scilicet literis, vel vnò pro omnibus peremptorio edicto, vt præsentiam sui facerent, si in eadem contumacia perseuerauerint, non abs re erit id, quod iuris

F, l.8. C. quomodo, & quan. l.9. C. eod.

ratio exegerit iudicare, F, à quo iudicato recedi non potest; quamuis ipsis Reis absentibus, & ignorantibus, atque indefensis dicatur esse prolatum. G.

G, l.3. C. eod.

§. De interesse quoque iudicari oportet; vtrum corpus occisi solùm æstimamus quanti fuerit, cum occideretur; an potius quanti interfuit nostra non esse occisum, & expedit, vt eius, quod intererit fiat æstimatio. H.

H, l.21. §. sed vtrũ ff. ad l. Aquil.

§. Oportet autem, quod Iudex sit competens; quoniam si Iudex eum, qui non erat iurisdictionis suæ damnauerit; vt puta Decurionem ad bestias, non esset iste capite diminutus; cum sententia eius non tenuerit. I.

I, l.6. §. quid si quis, ff. de iniusto rupto.

§. Et vltra Iudicis competentiam, sententia definitiua requirit etiã quòd condemnationem, vel absolutionem contineat alias pro iusta non haberetur. L.

L, l.3. C. de senten. & interlocut.

§. Ideò condemnatum accipere debemus eum, qui ritè condemnatus est, vt sententia valeat; cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est, condemnationis verbum non tenere. M.

M, l.4. §. condemnatũm, ff. de re iud.

TITVLVS IV.

De Pœna Iudicis malè iudicantis.

QVIA ad validitatem sententiæ requiritur, vt Iudex rectè iudicet: ideò id sequi debet, quod conuenit eam ex fide eorum, quæ probantur sequi, nam si noxali iudicio aditus est, obseruare debet, vt si condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare. Publium Meuium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere: A, & manus mundas habere debet, vnde Iudex, qui accepit,

A, §. ideoq; Instit. de offic. Iudic. l.6. §. veritas ff. de offic. Præsidis.

cepit, vel promissionem suscepit; si causa pecuniaria sit, dati triplum, promissi duplum exigatur; si verò criminalis causa fuerit, cõfiscatis omnibus bonis in exilium mittatur. B. *B, Auth. nouo iure §. si qui, & §. si verò, C. de pœna Iudicis, qui malè iudicauit.*

§. De eo autem Iudice, qui pretio depravatus, aut gratia perperam iudicauerit, ei vindicta, quem læserit non solùm æstimationis dispendij, sed etiam litis discriminis præbeatur: C, cùm faciat litem suam; & tunc Iudex intelligitur litem suam facere, cùm dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit: dolo malo autem hoc facere videtur, si euidens arguatur eius, vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur. D. *C, l. 2. C. eod.* *D, l. 15. §. Iudex ff. de Iudicijs.*

§. Et venales huiusmodi sententias, quæ in mercedem à corruptis Iudicibus proferuntur; etiam citra interpositæ prouocationis auxilium, infirmas esse decretum est. E. *E, l. 7. C. quando prouoc. non, &c.*

§. Si verò constiterit in quacumque causa, siuè priuata, siuè publica, siuè fiscali, quod cuicumque data fuerit pecunia, vel Iudici, vel aduersario, amittat actionem is, qui diffidentia iustæ sententiæ in pecuniæ corruptelam, spem negotij reposuerit. F. *F, l. 1. C. de pœna Iudicis, qui malè iudicauit.*

§. Quod si quis dicat se dedisse alicui, vel promisisse, & personam declarauerit, & hoc probauerit, veniam meretur. G. *G, Auth. nouo iure C. eod.*

§. Sed si datum, vel promissum probare nequiuerit, persona, quæ dicitur suscepisse iuret, quod neque per se, neque per aliam personam accepit, aut promissionem habuit; & sic libera erit. H. *H, d. Auth. nouo iure §. sed si datur, &c.*

§. Quod si prædictum iusiurandum refutauerit, memoratis pœnis subiaceat. I. *I, d. Auth. §. sed si persona.*

§. Idem si quis iurauerit, se nõ dedisse, vel promisisse; si intra decẽ menses post senten-

tiam

L, d. Auth. §. sed si quis. tiam ostendetur dedisse, vel promisisse, memoratis pœnis dantes, & accipientes subiacebunt. L.

TITVLVS V.

De Appellationibus.

IAM dictum fuit de relationibus, per quas Iudex ipse consultandi causa Principem addit: dicendum modò est de appellationibus, per quas Reus ipse causam ad superiorem deducit.

A, l. 1 ff. de appellat. & relat. §. Appellandi vsus, quam fit frequens; quamq; necessarius! nemo est, qui nesciat; quippe cum iniquitatem iudicantium, vel imperitiam corrigat, licet nonnumquam etiam benè latas sententias in peius reformet. A.

B, l. 30. §. sciant, C. de appell. §. Sciant igitur cuncti sibi ab iniurijs, & suspectis Iudicibus, & in capitali supplicio, aut fortunarum dispendio prouocationem esse concessam. B.

C, l. 18. vers. quia appellatio, ff de minoribus. §. Appellatio itaque iniquitatis sententiæ querelam continet: C, & differt ab integrum restitutione, quæ erroris proprij, veniæ petitionem, vel aduersarij circumuentionis allegationem continet. D.

D, d. l. 18. vers. in integrum verò.

E, l. 1. §. hinc cōsequentèr, ff de appellat. & relation. §. A sententia enim non à relatione, seu à consultatione Iudicis est appellandum: si quis fortè interlocutus fuerit Principem se consulturum, cùm possit post rescriptum prouocare. E.

§. Idcircò non tantùm ei, qui ad supplicium ducitur, prouocare permittitur; verùm etiam alij quoque nomine eius, non tantùm si ille mandauerit: verùm etiam quisquis alius prouocare voluerit, neq; distinguitur vtrū ne-

cef-

cessarius eius sit, necne? creditur enim humanitatis ratione omnem prouocationem audiri debere: F, vt ibi diligentius examinetur, vbi contra hominis salutem per errorem, vel gratiam cognitoris, oppressa putatur esse iustitia. G.

F, l. 6. ff. de appellat. & relat.

G, l. 29. vers. vt ibi C. de appellat.

§. Quid ergo si resistat, qui damnatus est, aduersus prouocantem, nec velit admitti eius appellationem, perire festinans? adhuc differendum est supplicium. H.

H, l. 6 ff. de appel.

§. Ante sententiam quoq; appellari potest, si quæstionem, scilicet tormentum in ciuili habendum, Iudex interlocutus sit, vel in criminali, si contra leges Iudex hoc faciat. I.

I, l. 2. ff. de appellat. recipien.

§. Verùm, quia cum contra sacras constitutiones iudicatur appellationis necessitas remittitur; L, veluti si Iudex pronunciauerit quæstionem de seruis contra Dominum haberi oportere; cùm de iure non oporteat: M, huiusmodi sententiam veluti contra ipsam legem datam, nullas habere vires palam est: & ideò in hac specie, nec prouocationis auxilium necessarium est; N, Nihilominus si dixerit quæstionem de seruis in dominum deberi, de iure Fisci pronunciasse intelligitur; quo casu appellatio dari potest: O, nam de iure in quibusdam exceptis criminibus, veluti adulterij, fraudati censūs, criminis maiestatis, quæstio de seruis in Dominum haberi oportet. P.

L, l. 1. §. item cum ff. quæ sententiæ sine appell.

M, l. 1. C. de quæst.

N, l. 2. C. quando prouocare non est necesse.

O, l. 1. §. item cum vers. quod si de iure ff. quæ sententia sine appell.

P, l. 1. C. de quæstion.

§. Constitutiones verò, quæ de recipiendis nec ne appellationibus, loquuntur; vt nihil noui fiat, locum non habent in eorum persona, quos damnatos statim puniri publicè interest: vt sunt insignes latrones, vel seditionum concitatores, vel duces factionum. Q.

Q. l. 16. C. de appellat.

§. Obseruare etiam iustum est, ne quis homicidiorum, veneficiorum, adulteriorum,

itemq; eorum, qui manifestam violentiam commiserunt argumentis conuictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium, scelusq; confessus audiatur, appellans, sicut enim hoc obseruari dispositum est, ita æquum est, testibus productis instrumentis prolatis, alijsq; argumentis præstitis; si sententia contra eum lata sit, & ipse, qui condemnatus est, aut minimè voce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus, contra se aliquid dixerit, prouocandi licentiam ei nō denegari. R.

R, l. obseruare C. quorum appellat. non recip.

§. In mulctis etiam à Iudicibus inferendis appellationes admitti notum est: S, nam certa ratione, & fine mulctare Præsides possunt; quod si alitèr contra legis statutum modum, mulctam irrogauerit, dubium non est id, quod contra ius gestum videtur, firmitatem non tenere: immò & sine appellatione posse rescindi. T.

S, l. & in mulctis C. de appellat.

T, l. certa C. quando prouoc. non est necesse.

§. Omnibus autem, & cuilibet appellare cupientibus tribuitur spatium dierum decem à sententiæ recitatione, numerandum, V, & Iudicibus, non solùm appellationis suscipiendæ necessitas videtur imposita; verùm etiam triginta dierum spatia à die sententiæ definita sunt; intrà quæ gesta vna cum relatione, litigatoribus conuenit præstari: Iudice, & officio eius si statuta fuerint aliqua parte mutilata mulctæ subiacientibus. X.

V, Auth. hodie, C. de appellat.

X, l. 24. C. de appellat.

§. Super ijs verò, qui in capitalibus caussis constituti appellauerint, quos tamen, & ipsos, vel qui pro eis prouocabunt, non nisi audita omni causa, atque discussa post sententiam dictam, appellare conueniet: id obseruandum esse decretum est, vt inopia idonei fideiussoris retentis in custodia Reis, opiniones suas Iudices, & exempla ab appellatoribus edita, ac refutatorias eorum, ad scrinia,

nia, quorum intereſt tranſmittant, quibus geſtarum rerum fides manifeſta relatione pandatur, vt meritis eorum conſideratis pro fortuna ſingulorum ſententia proferatur. Y.

Y, *l. 6. §. ſuper ijs, C. de de appellat.*

TITVLVS VI.

De Re iudicata, & eius executione.

RES iudicata, vel pro ſententia ipſa, vel pro ipſa damnatione accipitur. damnatum enim eum accipimus, qui non prouocauit, cæterum ſi prouocauerit, nondum damnatur; A, quia prouocationis remedio, condemnationis extinguitur pronunciatum. B.

A, *l. 2. §. eum accipimus, ff. de pœnis.*

B, *l. 1. §. Reus ff. ad Turpill.*

§. Itaque ſi pro ſententia res iudicata accipiatur; adhuc litigatoribus, copia eſt, etiam non ſcriptis libellis illicò appellare voce, cùm res popoſcerit iudicata, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus. C.

C, *l. 14. C. de appell.*

§. Si verò res iudicata pro damnatione ipſa conſideratur; tunc res iudicata pro veritate habetur, D, & ei ſtandum eſt; E, quia qui licitam prouocationem omiſerit, perpetuò ſilere debet. F,

D, *l. 208. ff. de reg. iur. l. 25. ff. de ſtatu hom.*

E, *l. 1. C. de re iud.*

§. Vndè ab eo iudicato recedi non poteſt, Si vbi primum cognitum fuit, & illicò querela non fuit delata. G.

F, *l. 2. C. vt lite pẽd.*

G, *l. 3, C. quomodo, & quando.*

§. Quocirca etiam qui v.g. ad pœnam, puta exilij, condemnatus pro componendis meſtis laribus, vel vt dicunt pro recolligendis ſarcinulis, dilationem petierit, acquieuiſſe ſententiæ manifeſtè probatur; & ſic veluti finita rerum iudicatarum auctoritas, reſtaurari non patitur. H.

H, *l. 5. C. de iud.*

Quam-

§. Quamuis rebus iudicatis standum sit; tamen si probare poteris eũ, cui condemnatus es, id quod furto amisisse videbatur recepisse aduersus iudicari agentem; doli exceptione opposita, tueri te poteris. I,

I, *l.1.C.de re iud.*

TITVLVS VII.

De Pœnis, & Mulctis.

POENA est delicti, seu criminis cuiuspuis æstimatio, & coercitio: A, hinc est quod fraus, quam veteres pro pœna ponere solebant; B, differt à pœna; nam fraus sine pœna esse potest; pœna verò sine fraude infligi non debet; quia pœna est noxiæ vindicta, fraus ipsa noxia dicitur, & quasi pœnæ quædam præparatio. C.

A, *l.41. ff.de pœnis.*
B, *l.23. §. excipitur, ff. de ædilit. edicto.*
C, *l. 131. ff. de verb.signif.*

§. Inter mulctam autem, & pœnam multùm interest, cum pœna generale sit nomen omnium delictorum coercitio; mulcta specialis peccati, cuius animaduersio hodie pecuniaria est; Pœna autem non tantum pecuniaria, verùm etiam capitis, & existimationis irrogari solet, & mulcta ex arbitrio eius venit, qui mulctam dicit; pœna non irrogatur, nisi quæ quaque lege, vel quo alio iure specialitèr huic delicto imposita est, quia immò mulcta ibi dicitur, vbi specialis pœna non est interposita: D,

D. *l.131.§.instar.*

§. Item mulctam is dicere potest, cui iudicatio data est: Magistratus solos, & Præsides Prouinciarum posse mulctam dicere, mandatis permissum est; pœnam autem vnusquisq; irrogare potest, cui huius criminis siuè delicti executio competit. E.

E, *l. 131. §. item mulctam, ff. de verborum signif.*

§. Harum rerum scilicèt pœnæ, & mulctæ dissimilitudo, ex hoc quoque apparet, quod de

de pœna prouocatio non est, simulatq; enim victus, quis est, eius maleficij, cuius pœna est statuta; statim ea debetur, at mulctæ prouocatio est, nec antè debetur, quàm aut nõ est prouocatũ, aut prouocator victus est, nec alitèr, quàm si Iudex dixerit cui dicere iure ordinario licet: Ex hoc quoque earum rerum dissimilitudo apparere poterit, quia pœnæ certæ singulorum peccatorum per leges constitutæ sunt; mulctæ contra, quia eius Iudicis potestas est, quantam dicat; nisi cum lege est constitutum quantam dicat. F.

F, *l. 244. ff. de verb. signif.*

§. Et si mulctam, quam dixit ex præsentibus facultatibus eorum, quibus eam indixit redigi non posse deprehenderit, necessitatem solutionis moderetur, reprehensa exactorum illicita auaritia. G.

G, *l. 6. §. Præses, ff. de Offic. Præsidis.*

§. Pœnæ autem secundùm loci consuetudinem considerandæ sunt; nam sunt quædã, quæ more Prouinciarum coercitionem solent admittere: H, immò ex personarum conditione, & rerum qualitate diligentèr æstimandæ sunt; ne quid aut duriùs, aut remissiùs constituatur, quàm causa postulabit: I, nec enim, aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso iudicio, prout quæq; res expostulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis, proniores ad lenitatem Iudices esse debent: in grauioribus pœnis legum seueritatem, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi; L, ita vt vnius pœna metus esse possit multorum. M.

H, *l. 7. §. sunt quædam, ff. de extraor. crimin.*

I, *l. 4. §. Diuus in fine, ff. de incend. & ruina.*

L, *l. 11. ff. de pœnis.*

M, *l. 1. C. ad l. Iul. repetundar.*

TITVLVS VIII.

De diuersis Pœnarum Generibus.

POENARVM coercitio, alia in rem, alia in personam adhibetur; & sic pœnarum species, aliæ reales, aliæ personales. Reales, quæ rem afficiunt, de quibus infra dicendum est. Personales sunt, quæ in personam feruntur, & sunt vel capitales, vel non capitales. Capitales sic illas accipere debemus, ex qua causa damnato, vel mors, vel etiam Ciuitatis amissio, vel seruitus contigit, & sunt mors, damnatio in metallum, & deportatio: A, & cùm vita adimitur, aut Ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur, supplicij etiam damnatione bona confiscantur. B.

A, *l. 2. ff. de pœnis.*

B, *l. 1. ff. de bonis damnatorum infra tit. 9. §. quando verò.*

§. Non capitales ad existimationem non capitis periculum pertinent; veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, vel in insulam, vel cum in opus, quis publicum datur, vel cum fustium ictui subijcitur, & ad has reducuntur infamia, & dignitatis amissio. C.

C, *l. 28. vers. cætera ff. de pœnis.*

§. Igitur genera pœnarum sunt, quibus Præsides afficere quempiam possunt, nempè quæ aut vitam adimunt, aut seruitutem iniungunt, aut Ciuitatem auferunt, aut exilium, aut coercitionem corporis continent. D.

D, *l. 6. §. nunc genera, ff. eod.*

§. Vita adimitur, vt puta si damnatur aliquis, vt gladio in eum animaduertatur; sed animaduerti gladio oportet: E, non securi, vel telo, vel fuste, vel laqueo, vel aliquo alio modo. F.

E, *l. 18. ff. eod.*

F, *l. 8. ff. eod.*

§. Sed qui vltimo supplicio damnãtur, statim Ciuitatem, & libertatem perdunt: G, nisi intra

G, *l. 29. ff. eod.*

intra decem dies prouocauerint, quia tunc capite non minuuntur. H. *H, l.6. §.hi autem ff. de iniusto rupto.*

§. Gladij quoque capitis pœna dicitur; veluti etiam bestijs obijci, vel alias similes pœnas pati, vel animaduerti. I. *I, l.11. §. capitis, ff. de pœnis.*

§. Libertas adimitur, cùm quis in metallum, vel in opus metalli, vel in ludum venatorium damnatur; L, hic enim seruus pœnæ efficitur. M. *L, l.8. § est pœna, §.quicumq; vers. & magis, ff. de pœnis. M, l. 17. ff. eod.*

§. Et sic quoad statum damnatorum, nihil interest, iudicium publicum fuerit, neç ne: nam sola sententia, non genus criminis spectatur: itaq; ij, in quos animaduerti iubetur, quiue ad bestias damnantur, confestim serui pœnæ fiunt. N. *N, l. 12. ff. eod.*

§. Ciuitas aufertur deportatione; veluti cùm in insulam quis deportatur, quæ quidem pœna à Præside antiquitus inferri non poterat; sed Præfectus Vrbis tantùm ius deportandi habebat: statimque post sententiam Præfecti, amittebat Ciuitatem. O. *O, l.2. §. constat in fine, ff. eod.*

§. Deportatus igitur Ciuitatem amittit, non libertatem, & speciali iure Ciuitatis non fruitur, iure tamen gentium vtitur, emit enim, & vendit, locat, & conducit, permutat, & fœnus exercet, & cætera similia. P. *P, l. 15. ff. de interdictis releg. & depor.*

§. Exilium autem infligitur, vel cæterorum locorum interdictione, ne quis scilicet staret Bononiæ, vel in alia Ciuitate, aut lata fuga, quæ est omnium locorum interdictio, præter vnum certum locum; vt puta quòd staret Mutinæ, ne illam Ciuitatem, vel aliam, vel Regionem aliquam egrediatur, Q, vel insulæ vinculum, idest relegatio in insulam; R, huic enim exuli, vel relegato nemo potest dare commeatum, vel remeatum, id est saluum conductum; nisi Princeps ex aliqua causa. S. *Q, l. relegatorum §. sicut autem, vers. item in partem, ff. de interdict. &c. R, l. 5. ff. eod. S, l.4. ff. de pœnis infra tit. 15. §. hic notandum.*

§. Corporis verò coercitio, est veluti fu-

T, l. 7. ff. de pœnis.

stium admonitio, flagellorum castigatio, vinculorum verberatio. T.

§. Sunt, & aliæ pœnæ, quibus prohibetur aliquid agendũ; nimirum si negotiatione quis abstinere iubeatur, vel ad conductionem eorum, quæ publicè locantur accedere; aliquando etiam aduocationibus, & foro alicui interdicitur, & plus est foro, quàm aduocatione interdicere: siquidem huic omnimodò forensibus negotijs accommodare se non permittitur. V.

V, l. 9. §. nonnumquam cum §§. seqq. ff. de pœnis.

§. Pœnarum inflictio, vel leuior, vel durior, secundùm causæ qualitatem, & personarum conditionem, adhibetur: nam quædam delicta pagano, aut nullam, aut leuiorem pœnam irrogant; militi autem grauiorem; nam si miles artem ludricam fecerit, vel in seruitutem se venire passus est, capite puniendus est, X, vel ex carcere dato gladio erupit, paritèr pœna capitis punitur, eademque pœna tenetur, qui eum, quem custodiebat deseruit. Z.

X, l. quædam ff. de pœnis.

Z, l. 38. §. miles, ff. eod.

§. Idem si quis sibi manus intulerit, nec facto peregerit, nisi impatientia doloris aut morbi, luctusue alicuius, vel alia causa fecerit, capite puniendus est, aliàs cum ignominia mittendus est. AA.

AA, l. 38. §. miles qui, ff. de pœnis supra lib. 2. tit. 24. §. sunt.

§. Mulier verò prægnans; quæ pecunia accepta, partum abegisse dicatur, capite damnatur: BB, sed si qua visceribus suis, post diuortium vim intulerit; ne iam inimico marito filium procrearet, temporali exilio coercetur. CC.

BB, l. 39. ff. eod.

CC, d. l. 39. §. sed & si, & supra lib. 2. tit. 23. §. sed de fœtu.

§. Sciendum tamen est, quod quoties de delicto quæritur, non eam pœnam quis subire debet, quàm conditio eius admittit, eo tempore, quo sententia de eo fertur; sed eam causam sustinere, quam sustineret, si eo tempore

pore esset, sententiam passus cùm deliquisset; ac proindè si seruus crimen commiserit, deindè libertatem consecutus dicetur: eam pœnam sustinere deberet, quam sustineret, si tunc sententiam passus fuisset, cum deliquisset; per contrarium quoque si in deteriorem conditionem fuerit redactus, eam pœnam subire, cum oportebit, quam sustineret, si in conditione priori durasset. DD.

DD, *l.* 1. *ff. de pœnis*.

§. Iudices verò possunt postulare auxilium militare pro puniendis delinquentibus. EE.

EE, *l.* 2. §. *si verò ff. de ijs, qui latrones*.

TITVLVS IX.

De Bonorum Confiscatione.

NVNC de pœnis rebus imponendis dicendum est: inter quas vna, & principalis est bonorum cõfiscatio, quæ est, atque dicitur cum Fisco, idest Principis ærario bona delinquentis applicantur; A, & bonorum proscriptio appellatur, quæ vel principalitèr, vel in consequentiam infertur: quando autem principalitèr fit, tunc nulli Iudicum liceat, (exceptis ijs, qui in summæ administrationis sunt positi potestate) proscriptionis tempestate totius substantiæ aliquem percellere; nisi ad aures Principis hoc ipsum referatur; summam verò potestatem habet Supremus Principis Senatus, Præfectus Prætorij, Vicarij, Præfectus Vrbis non Præsides, B.

A, *l. fin.* §. 1. *ibi bona Fisco ff. de bonis eorum, qui sibi mortem, &c.*

B, *l. vnica C. ne sine iussu Principis*.

§. Quando verò in consequentiam tunc omnibus Iudicibus fieri conceditur, & potest vnusquisque sententia partem bonorum adimere: C, nam eorum, qui in perpetuum exilium dati sunt, vel quando quis quolibet crimine damnatus, capitalem pœnam, depor-

C, *l.* 4. *ff. de interdictis, &c.*

rationemue sustineat; siquidem sine liberis mortuus sit; bona eius ad Fiscum perueniunt; D, quia supplicij damnatione bona publicantur, cùm aut vita adimitur, aut Ciuitas, aut seruilis conditio irrogatur, vt dictum est. E.

D, d.l.4. ff. eod. & l.10. C. de bonis proscrip.

E, l.1. ff. de bonis damnatorum supra tit, 8. §.1.

§. Si quis intra Prouinciam, pro qualitate delicti stylum proscriptionis incurrerit; per ordinarij officij solicitudinem, bonorum eius indago diligentissimè celebretur; ne quid rei priuatæ commodis, per gratiam, atque colludium furto subducatur: & plena descriptio comprehendat, quod spatium in singulis agris, & quod sit Ruris ingenium; hoc est fertile sit, aut sterile quid, aut incultum sit, aut colatur, quid in vineis, oliuetis, aratorijs, pascuis, syluis, fuerit inuentum; quæ etiam gratia, & quæ amœnitas sit locorum; quis in ædificijs, aut possessionibus sit ornatus, quotue mancipia in prædijs occupatis, vel vrbana, vel rustica, vel quarum artium generibus imbuta teneantur; quot sint censuarij, vel coloni, quot boum exercitijs terrarum, atq; vomeribus instrumentorum quot pecorum, & armentorum greges, & in qua diuersitate numerati sint, quantum auri, & agenti, & vestium, aç monilium; vel in specie, vel in pondere, & in quibus speciebus, quidue in Apothecis sit repertum; tunc demum omnia ea, quæ Fisco debere perspiciuntur. F.

F, l. 7. C. de bonis proscriptorum.

§. Idcircò eorum patrimonia mortuorum, qui vitæ suæ tempore diuersis conscientiam suam, dicuntur polluisse criminibus, Fisci rationibus nequaquam competere, vel ab eo alienari cautum est; nisi post publicam accusationem, & constiterit fuisse conuictos. G.

G, l.10. C. de iure Fisci lib. 10. vbi glos.

§. De panicularijs verò scilicet; de ijs, quæ

in

in custodiam receptus secum attulerit spolijs; quibus indutus est; quis cùm ad supplicium deducitur, statuitur, ne speculatores, vltro sibi vendicent; neque optiones, ea sibi desiderent, quibus spoliatur, quo momento quis est punitus, neque hanc rationem panicularium in compendium suum debent Præsides vertere, neque pati optiones, siuè commentarienses ea pecunia abuti; sed debent ad ea seruari, quæ iure Præsidum solent erogare: vt puta carceraticum, quibusdam officialibus inde subscribere, vel si quid fortitèr fecerint milites, indè eis donare, Barbaros etiam inde munerari venientes ad se, vel legationis, vel alterius rei causa. Plerumque etiam coactas pecunias Præsides ad Fiscum transmiserunt, quod per quam nimiæ diligentiæ est, cùm sufficiat si quis in vsus proprios non verterit, sed ad vtilitatem officij patiatur deseruire. H.

H, l. 6. §. panicularia, ff. de bon. damn.

§. Hodie vero bona damnatorum non fiunt lucro Iudicum, aut eorum officijs, neq; contra veteres leges Fisco applicantur; sed ascendentibus, & descendentibus, & ex latere vsq; ad tertium gradum si supersint: I, nisi maiestatis crimine fuerint condemnati, in quo veteres leges seruari debent. L.

I, Auth. bona damnatorũ, C. de bonis proscript.

L, d. Auth. bona damnatorum.

§. Et vbi bonorum proscriptio admitti solet; si plures liberos damnatus habeat, fauorabilem causam liberorum numerus filiorum facit; ideòq; illis paterna sua, concedi cautum est; nam ampliari imperium hominum adiectione potius, quàm pecuniarum copia oportet. M.

M, l. cum ratio, §. fraudis vers. si plures ff. de portionibus quæ liberis, &c.

§. Benè verum est, quod non omnes reales pœnæ Fisco applicantur, nam cùm rem, de qua controuersia est, prohibemur in sacrum dedicare: alioqnin dupli pœnam pa-

timur: nec immeritò: pœna dupli statuitur, vt sic terreantur homines à similibus, & ne liceat quo quo modo duriorem aduersarij conditionem facere: sed duplum vtrum Fisco an aduersario præstandum sit nihil exprimitur. Fortassis autem magis aduersario præstandum sit: vt id veluti solatium habeat pro eo, qui potétiori aduersario traditus est. N,

N, *l. Rem 3. ff. de litigiosis.*

TITVLVS X.

De Reo Contumace.

REVS contumax est, vel qui pœnæ sibi inflictæ non obtemperauerit, vel qui tribus edictis propositis, vel vna pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, literis euocatus præsentiam sui facere contemnit. A.

A, *l. 53. §. contumax, ff. de re iud. supra lib. 3. tit. 4. §. de absentibus, vers. aduersus contumaces.*

§. In hunc contumacem vti latitantem pœnam pro delicto meritam irrogatam, nisi infra annum copiam sui præstiterit, atq; Præsidem adierit, exequi omninò sancitum est, siuè personalis, siuè pecuniaria pœna fuerit, siuè de bonis eius omnibus ageretur, nec vlla tẽporis præscriptione huiusmodi sententiam interrumpere certum est, nam ex eo die, quo Reus absens fuerit in iudicio petitns, & condemnatus, intra anni spatium noluerit adesse iudicio, ius Fisco firmitèr acquisitum est, & hoc factum est, ne latente Reo; & tardata eius exhibitione, causa maneat suspensa. B.

B, *arg. textus in l. quicumque, C. de requiren. Reis, l. 6. C. de cohartal. lib. 12. §. igitur ne, Aut. de exhiben. Reis.*

§. Immò si pateat, vbi Reus degat ad comparendum pro singulis viginti miliaribus vnus dies ei statuendus est; nam sanè talis itineris denumeratio Reo absenti, onerosa non est, nisi ex diuersitate locorum, aliud tempus constituendum sit, aliàs examinet, vt

po-

potest Iudex, & nisi intra inducias datas occurrerit, tunc examinata causa delicti diffinitiuam in eum ferat sententiam, & cuique datur potestas in eum, veluti in hostem Ciuitatis offendendi. C.

§. Contumacia verò eorum, qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coercentur: D, immò contumacia eorum pœnam cumulat, quia debent locis interdictis abstinere, & illis non excedere. E.

§. Sed contumaces non videntur, nisi qui cùm obedire deberent, non obsequantur; id est, qui ad iurisdictionem eius, cui negant obsequi, pertinent. F.

§. Ideò pœnam contumaciæ non patitur; quem aduersa valetudo, vel maioris causæ occupatio defendit; G, nam is pro contumace haberi non potest; cum sui præsentiam præstare non potest: contumacia enim pro præsentia habetur. H.

C, *l. 1. ff. si quis caut. Auth. qua in Prouincia, C. vbi de crimine agi oportet, §. igitur ne, Auth. de exhiben. Reis.*

D, *d. l. 53. ff. de re iudic.*

E, *l. relegati circa finem, ff. de pœnis.*

F, *d. l. 53. §. contumaces, ff. de re iudic.*

G, *d. l. 53. §. pœna ff. de re iudic.*

H, *Auth. qua in Prouincia, §. sed si in fine, C. vbi de crim. agi oport glos. præsentem circa medium, §. & hic, Authen. de testibus.*

TITVLVS XI.

De Sententiā passis, & restitutis.

ALIQVANDO pœnæ irrogatæ remittuntur, vel Principis indulgentia; quia Præses, eum quem damnauit restituere non potest: A, & hoc euenit, vel temporis pœnæ adiecti lapsu, vel transactione: Principis indulgentia, quando pœna remittitur, & bona simul restituuntur; vt puta, cùm Princeps dixerit, Restituo te in integrum, quod est restituere honoribus pristinis, ordiniq; & omnibus cæteris bonis; B, vel quando à sola pœna liberatur; veluti cū patrem tuum in metallum damnatum fuisse proponas, eiusq; bona à Fisco occupata; non ideò,

A, *l. 1. §. hac epistola ff. de quæstion.*

B, *l. 1. C. hoc tit.*

ideò, quod ex indulgentia Principis pœna tantummodò metalli liberatus esset, etiam bonorum restitutionem impetrauit; nisi speciale beneficium super hoc fuerit impetratum, C, quam quidem restitutionem, aliquando Princeps alicui concessit ob merita. D.

C, *l. 2. C. hoc tit.*

D, *l. 1. vers. nam quod ff. de constit. Princip.*

§. Temporis pœnæ adiecti lapsu, quoniam, licet si operis publici temporalis pœnæ sententia præfinitus nondum excesserit dies, hunc expectari conuenit; cùm non remitti pœnam facilè publicè intersit; ne ad maleficia temerè quisquam prosiliat; E, quia facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi: tamen rescriptum reperitur eum, cui aduocationis officium in quinquennium interdictum esset, post quinquennium pro omnibus postulare non prohibere. F,

E, *l. 14. C. de pœnis.*

F, *can. cum iniusta 23. q. 4. l. 8 ff. de postulando.*

§. Idem de exilio recursum postulare posse cautum est, nec adhibetur distinctio, quo crimine silentium, vel exilium sit irrogatum, ne cui scilicet pœna tempore determinata contra sententiæ fidem vlterius porrigatur. G.

G, *d. l. 8. §. idem ff. de postulando.*

§. Si deportatus restitutus dignitatem, quidem Indulgentia Principis recuperauerit; in sua autem bona non est restitutus, nec à creditoribus, nec Reipublicæ nomine conueniri potest: sed si cum ei facultas oblata esset à Principe, ad bona quoque sua recuperanda, maluerit ea derelinquere, & se exuere, actionibus, quibus ante sententiam subiectus fuerat, non poterit. H.

H, *l. 2. ff. hoc tit.*

§. Transactione remitti videtur pœna, quando quis cum aduersario suo de compositione eius criminis, quod intendebat, fuerit locutus; I, sed Præses Prouinciæ existimabit verum de dubia lite transactio fieri oporteat; ne ambitiosè id, quod indubitatè deberetur, remittatur: nam priore casu ratam manere transf-

I, *l. 6. ff. ad Turp.*

transactionem iubebit; posteriore verò casu nocere gratiam non finet: L, quia scriptum est non recipias, pretium ab eo, qui Reus sanguinis est. M.

§. Nihilominus transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adultero, N, prohibitum non est; in alijs autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem. O.

§. Quod si pater mulieris raptæ iniuriam suam precibus exoratus, remiserit; tamen extraneus sine quinquennij præscriptione, Reum postulare poterit. P.

L, l. 12. C. de transactionibus.

M, numerorum cap. 35.

N, cap. fin. extra de transact.

O, l 18. C. de transact. l. 1. ff. de bonis eorũ, qui ante sententiam, l. fin. ff. de præuar. l. 29. ff. de iure Fisci.

P, l. 5. §. qui vacãtem, ff. de vi pub. & sup. lib. 2. tit de delictis carnis, sub. de adulterio; §. Extraneus.

TITVLVS XII.

De Pœnis temperandis.

QVAMVIS cognitoris Religio in pronunciando, nihil de pœna subiecerit; tamen legis potestas aduersus eum, contra quem pronunciauit, exercebitur: quia facti quæstio in arbitrio iudicantis est; pœnæ verò persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis authoritate reseruatur: lex enim delictorum, quæ sponte vel ignoranter contrahuntur, coërctio est, A, nihilominus Iudex certis rationibus motus mitiorem sententiam dicere potest. B.

A, l. 1. §. sed non, vers. & quamuis, ff. ad Turpil. l. 1. ff. de legibus.

B, l. 3. vers. certis rationib. C. ex quibus causis infam. irrog.

§. Nam qui v. g. terminos finium causa positos propulerunt, de pœna eorum modus ex conditione personæ, & mente facientis, magis statui potest: nam si splendidiores personæ sint, quæ conuincuntur, non dubiè si occupandorum alienorum finium causa id admiserint, possunt ad tempus, vt cuiusq; pa-

tietur

tietur ætas, relegari, id est si iunior in longius, si senior in resisius, si verò alij negotium gesserint, & ministerio functi sint castigari, & ad opus publicum biennio dari; quod si per ignorantiam, aut fortuitu lapides furati sunt, sufficiet eos verberari. C.

C, *l. 2. ff. de termino amoto.*

§. Qui transfugit,& postea multos latrones apprehendit, & transfugas demonstrauit, potest ei parci, D.

D, *l. 10. ff. de re militari, l. 5. § sanè C. ad l. Iul. maiestat.*

§. Hodie autem licet ei,qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre, vel grauiorem, vel leuiorem, ita tamen vt in vtroque moderationem non excedat. E, Nihilominùs qui vsus fuerit factione, si vel serò (incognita tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantùm ac venia dignus est. F.

E, *l. hodie, ff. de pœnis.*

F, *l. 5. §. sanè C. ad l. Iul. maiest.*

TITVLVS XIII.

De Pæna Infamiæ.

INFAMIA existimationē lædit: A, existimatio autē est dignitatis illesæ status, legibus, ac moribus cōprobatus, quæ ex delicto nostro authoritate legū, aut minuitur, aut cōsumitur: minuitur existimatio, quoties manēte libertate circa statū libertatis pœna plectimur; sicuti cū relegatur quis, vel cū ordine mouetur, vel cū prohibetur honoribus publicis fungi, vel cum plebeius fustibus cæditur, vel in opus publicū datur, vel cùm in eam causā quis incidit, quæ ex edicto perpetuo inter infamiæ causam adnumeratur: consumitur verò, quoties magna capitis diminutio interuenit, id est cùm libertas amittitur, veluti cum aqua, & igni interdicitur, quæ in persona deportatorum euenit, vel cùm plebeius in opus metalli,

A, *l. 8. C. ex quibus causis infam. irrog.*

talli, vel in metallum datur, nihil enim refert, nec diuersæ pœnæ est operis, & metalli, nisi quam refugæ operis, non morti, sed pœnæ metalli subijciuntur. B.

B, l.5.§.existimatio, & §§. seqq. ff. de varijs, & extraord. cognit.

§. Infamiæ verò species vna facti, altera iuris est; facti est illa, quæ dumtaxat pudorē apud bonos, & honestos viros onerat; veluti si ea, quæ pater testamento suo, filios increpans scripserit: infames quidem filios iure non facit, sed apud bonos, & graues opinionem eius, qui patri displicuit onerat. C.

C, l.13. C. ex quibus causis infam.

§. Ita similitèr verbum iniuriosum à Iudice sine causæ cognitione dictum, nempè v.g. dixerit ἐσυκοφάντησε idest improbus litigator verecundiam potiùs videtur onerare, quam vllam existimationis maculam aspergere. D,

D, l.17. C. eod.

§. Iuris verò infamia est, quæ iuris auctoritate ob turpe aliquod commissum nocenti irrogatur; & hæc, vel ipso iure, vel condemnatione infligitur: si quidem ipso iure, veluti in exercentibus improbum fœnus, & vsuras vsurarum illicitè exigentibus; E, & in eo, qui bina sponsalia, binasq; nuptias eodē tēpore habuerit: F, atq; in ijs viduis, quæ nuptias alias, intra annum luctus secutæ sint, tam hæ, quàm ij, qui scientes eas duxerint vxores, perpetuo edicto labē pudoris contrahunt. G.

E, l. 2. C. eod.

F, l. 1. in fine, ff. de ijs, qui not. infam.

G, l.15. C. ex quibus causis infam.

§. Iuris infamia condemnatione contrahitur, veluti in damnatis per sententiam diffinitiuam: H, de publico crimine, nam infamem non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo, quod iudicij publici causam habuit: itaq; ex eo crimine, quod iudicij publici non fuit damnatus, infamia non sequitur, nisi id crimen ex ea actione fuit, quæ etiam in priuato iudicio infamiam condemnato importat;

H, l.13.§.5.6 ff. de ijs, qui not. infam.

veluti

I, *l. 6. ff. de publ. iud.* — veluti furti, & iniuriarum, I, vnde fi quis furti condemnetur, citra verbera, quoq; famæ damnum fubijt, L, & de vfura idem dicas quæ nequiffima exactio eft, & parum differt à furto, immò fi quis vfuram acceperit, rapinam facit, M, & famæ etiam detrimentum patitur, vt fuprà dictum eft.

L, *l. 8. C. ex quibus caufis infam. can. conftituimus 3. q. 5.*

M, *can. fi quis vfuram 14. q. 5.*

TITVLVS XIV.

De Cadaueribus punitorum.

CORPORA eorum, qui capite damnantur cognatis ipforum neganda non funt; nec eorum corpora alitèr fepeliantur, quàm fi fuerit petitum; & permiffum; & nonnumquam non permittitur maximè maieftatis damnatorum. A.

A, *l. 1. ff. hoc tit.*

§. Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur, peti poffunt, fcilicet vt offa, & cineres collecti fepulturæ tradi poffunt. B,

B, *l, 1. §. eorum, ff. hoc tit.*

§. Si quis in infulam deportatus, vel relegatus fuerit; pœna etiam poft mortem manet; nec licet eum indè transferre alicubi, & fepelire, inconfulto Principe, quod & multis petentibus indultum eft. C,

C, *l. 2. ff. hoc tit.*

TITVLVS XV.

De Interdictis, Relegatis, & Deportatis.

HIC de iure interdictorum, & relegatorum, ac deportatorum videndum eft: ideò fciendū quod relegati in infulam in poteftate fua liberos retinent: tantum enim infulam egredi non liçet, & bo-

na

na quoque sua omnia retinent, præter ea si qua eis adempta sint: A, quod si ad tempus relegatus sit, neque tota bona, neque pars adimi debet; sic tamen, vt non infirmarentur sententiæ, quæ ita sint prolatæ. B.

A, *l.4. ff. hoc tit.*

B, *l.7. §. ad tempus, ff. hoc tit.*

§. Quid si insulam egrediatur, tunc examinentur causæ, idest cur fregerit fines relegationis, seu exilij, & vbi fuerit, & quid egerit, & datur venia valetudini, affectioni parentum, & affiniũ; & si seruũ fugientem persecutus est, vel si qua huiusmodi causa sit. C.

C, *l. 4. §. examinantur, ff. de re milit.*

§. Relegatus quamuis integrum suum statum retineat, & domicilium, & patriam potestatem, vt dictum est, tamen Romæ non potest morari: quia cui patria interdictum est: etiam Vrbe abstinere debet: D, licet hoc in sententia comprehensum non sit: sed neque in Ciuitate, in qua versatur Princeps, eis enim dumtaxat Principem intueri licet, qui Romam ingredi possunt; est enim Princeps pater patriæ. E.

D, *l. 7. §. constitutum est, ff. hoc tit.*

E, *l. 19. ff. hoc tit.*

§. Nihilominus Ciuitatem Romanam retinent; F, & statuis, & imaginibus honorari non prohibentur. G.

F, *l. 7. §. siue, ff. hoc tit.*

G, *l. 17. ff. hoc tit.*

§. Deportati verò sunt, qui quoq; paritèr relegati, sed contemptibiliores, & differunt, quia relegati ad tempus, & in perpetuum relegari possunt: H, Deportati verò in perpetuum relegantur, & Ciuitatem, & bona eis adimuntur: Relegati vtrumque conseruant; nisi specialitèr eis bona publicentur. I.

H, *l. 7. §. hæc est differentia, ff. hoc tit.*

I, *l. 14. ff. hoc tit. l. 8. C. de pœnis.*

§. Interdicti sunt, quibus Vrbis Patriæ alicuius interdictum est aditu; veluti si quis Roma ab esse, iubeatur interdicere, etiam aqua, & igni vsitatum erat: nec illud eius testamentum valebat, quod ante fecisset, nec id, quod postea fecisset, bona quoque, quæ

tunc

tunc habuisset, publicabuntur, aut si non viderentur lucrosa, creditoribus concedebantur: In insulam deportati in eadem causa erant; sed relegati in insulam, à quibus terra Italica, & sua Prouincia interdicebatur, testamenti faciendi ius retinebant, illi verò, qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnabantur; libertatem amittebant, bona quoque publicabantur: vnde apparet eos amittere testamenti factionem. L.

§. Hic notandum est, quòd eum, quem Præses damnauit, restituere non potest, cùm nec pecuniariam sententiam suam reuocare possit. M.

L, *l.* 8. §. *si cui*, §. *in insulam ff. de testamen.*

M, *l.* 1. §. *hac epist. vers. sed Præses, ff. de quæstion. supra tit.* 8. §. *exilium in fine.*

TITVLVS XVI.

De bonis eorum, qui mortem sibi consciuerunt.

QVI Rei postulati, vel in scelere deprehensi, metu criminis imminentis, mortem sibi consciuerunt, hæredem non habent: A, sed bona eius Fisco vindicanda sunt, si eius criminis fuerit, vt si damnaretur morte, aut deportatione afficiendus esset: B, vndè is, qui modici furti Reus fuerit; licet suspendio vita finierit; non videtur in ea causa esse, vt bona eius hæredibus adimenda essent; sicuti neque ipsi adimerentur, si compertum in eo furtum fuisset. C.

§. Si quis autem vitæ tædio, vel impatientia doloris alicuius, vel alio modo finierit vitam, successorem habere indubitatũ est: D, nam ita demum dicendum est, bona eius, qui manus sibi intulit Fisco vendicari; si eo crimine

A, *l.* 3. *ff. hoc tit. l.* 1. *C. eod.*

B, *d. l.* 3. §. *Papinianus vers. vt autem, ff. hoc tit.*

C, *d. l.* 3. §. *idem rescripsit, ff. hoc tit.*

D, *d. l.* 3. §. *si quis autem, ff. hoc tit.*

mine innexus fuerit, vt si conuinceretur bonis careret, E, vel sine causa puniendus est, quia qui sibi non pepercit, multò minus alijs parceret. F.

E, *d. l. 3. §. idem vers. ego ita, ff. hoc tit.*

F, *d. l. 3. §. si quis in fine ff. hoc tit.*

§. De illo videamus, qui conscita sibi morte, nulla iusta causa præcedente, in reatu decesserit, an si parati sint hæredes causam suscipere, & innocentem defunctum ostendere, audiendi sunt: nec prius bona in Fiscum cogenda sunt, quàm si de crimine fuerit probatum; an verò omnimodò publicanda sint, & dicendum, quod si hæredes parati sint defensionem suscipere, non esse bona publicanda, nisi de crimine fuerit probatum. G.

G, *d. l. 3. §. de illo, ff. hoc tit.*

TITVLVS XVII.

Ex delictis defunctorum in quantum hæredes teneantur.

CVM certum sit, quod in hæredes non soleant actiones transire, quæ pœnales sint ex maleficio, veluti furti, damni, iniuriæ, vi bonorum raptorum, iniuriarum: A, Nihilominùs post litis contestationem eo, qui vim fecit, vel concussionem, vel aliquid deliquit, defuncto; successores eius insolidum, alioquin in quantum ad eos peruenit, conueniri iuris absolutissimi est; ne alieno scelere ditentur. B.

A, *l. 112. §. in hæredes, ff. de reg. iuris contra sup. lib. 2. tit. 2. §. actionibus in fine.*

B, *l. vnica, C. hoc tit. supra lib. 2. tit. 2. §. actionibus verò.*

§. In hæredem enim competit in id, quod ad eum peruenit, nam constitutum est, turpia lucra, hæredibus quoq; extorqueri; licet crimina, extinguantur; vt puta ob falsum testimonium, vel Iudici ob gratiosam sententiam datum, & hæredi extorquebatur, & si quid aliud scelere quæsitum est. C,

C. *l. in hæredem, ff. de calumn. l. 39. ff. de reg. iur. l. quod diximus §. primo, vers. in hæredem ff. quod metus causa.*

§. At verò si hæres, ad quem aliquid peruenit consumpserit id, quod peruenit, an desinet teneri; an verò sufficiat semel peruenisse, si consumpto eo decesserit, vtrum aduersus hæredem eius, omninò competat actio; quoniam hæreditariam suscepit obligationem; an non sit danda, quoniam ad secundum hæredem nihil peruenit, & melius est omninò competere in hæredem hæredis, actionem: sufficit enim semel peruenire ad proximum hæredem; vt perpetua actio esse cæperit; alioquin dicendum erit, nec ipsum, qui consumpsit, quod ad eum peruenit, teneri. D.

D, l. videamus ff. de eo, quod metus causa.

Finis Quarti, & vltimi Libri.



IN-

INDEX MATERIARVM INSTITVTIONVM CRIMINALIVM.

Primus numerus Librum, secundus Titulum, Litera verò, seù Literæ sequentes locum Conclusionis indicant.

A.

ABDVCTIO.

ABIGEATVS, ABIGEVS.

ABOLITIO, ABOLERI.

Mili-

Ac-

ACTIO VI BONORVM RAPTORVM.

ACTOR.

ADMINISTRATOR.

ADVLTER, ADVLTERIVM.

AF-

An-

A sen-

BARBARVS.

BESTIA, BESTIALITAS.

BLASPHEMIA.

BONA, BONORVM CONFISCATIO.

Inno-

CON-

Con-

Cri-

DAMNA-

D.

DAMNATIO, DAMNARI, DAMNATVS.

Quæ,

DELINQVERE, DELINQVENS.

De-

Qui

EXA-

Qui

Facti

Eman.

FOR-

FORNICATIO.

FORVS.

FRATER.

FRAVS.

FVGA.

FVR, FVRTVM.

Fur-

Hæ-

In-

In-

Hæ-

IN-

Ia-

In

Qui

Iu-

Qui

vel

Omni-

NAV-

NVM-

Qui

OF-

lum

Præ-

PRO-

PROBATIO.

PROCESSVS.

PROCVRATOR.

PRODITIO.

Pro-

Ra-

SENTENTIA.

SEPVLCRVM.

SERVVS.

SILENTIVM.

SIMVLATIO.

Plus

FINIS.

			ERRATA.	CORRIGE.
In Prooemio		§.	Ad inftar nulla	nullam
Lib.	*Tit.*	*Litera*		
I.	4.	L.	fe	fed
	5.	B.	fafis	falfis
	6	T.	inueniente	interueniente
			caffatione	ceffatione
	8.	D.	inftituerant	inftituerat
	11.	L. in marg.	*tit.*16.	*tit.* 17.
	12.	I.	crimine	crimen
		M. in marg.	§. *quod illicitè ff. de pub.*	§. *denique ff. hoc titulo*
	14.	F.	quinquennio	quinquennium
	16.	L.M. in marg.	*l. si quis*	*l. quaesitum.*
II.	10.	S.	feruis	ferui
	17.	A. in marg.	*peculatus*	*de Ambitu*
	21.	R.	probatum	prolatum
			adfcribendae	adfcribendo
III.	4.	H. in marg.	*quāuis tamen*	*quamuis*